

INSTITVTIONIS
CHRISTIANAE,
PRÆCIPVÆ QVÆ DOCTRI-
NÆ SVMMÆ, CONCIONIBVS ALI-
quot succinctis iuxtà ac Catholicis com-
prehensa, homini cuius Christia-
no lectu cognituq; valdè
necessaria.

Authore D. IACOBO SCHOEPPERO,
Presbytero.

*Quæ sint opusculi huiusce potiora capita, nona pagina
ind: cabit: Concionum autem seriem in fine eiusdem
dem offendes.*

P. Ignatij Chachulski

*Omnia Ecclesie Catholice Apostolicæq;
iudicio submissa sunt.*

Benedictini Calvo-Montis:

COLONIÆ
Apud Maternum Cholinum &
Iacobum Soterem.

Anno 1561.

87286

CHRISTIANAE
LITURGIAE

LIBRARY
MUSEUM
OF THE
CATHOLIC UNIVERSITY
OF AMERICA

LIBRARY OF THE
CATHOLIC UNIVERSITY OF AMERICA

LIBRARY OF THE
CATHOLIC UNIVERSITY OF AMERICA

LIBRARY OF THE
CATHOLIC UNIVERSITY OF AMERICA

LIBRARY OF THE
CATHOLIC UNIVERSITY OF AMERICA

REVEREN-
DO IN CHRISTO PA-
TRI AC DOMINO, D. AL-
BERTO A' VVACHTENDONCK, IM-
perialis Monasterij Indensis ad D. Cor-
nelium Abbati digniss. domino suo per-
petua obseruantia colendo, Mater-
nus Cholinus, bibliopola
S. P. D.



VSTVLIT nobis iam pro-
ximè elapsus annus quinquage-
simus quartus, Reueren. D. Ab-
bas, multos præclaros certè ui-
ros, qui cùm scribendo, tum de-
clamando ad populum, gnaui-
ter Catholicæ religionis integritati studuerunt: im-
primis autem D. Iacobum Schæpperum, uirum pro-
fecto & pietate & eruditione insignem, atq; uite
integritate commendatum plurimum, qui toto quo
uixit ferè tempore ita Tremoniensis suos, quibus
à sacris functionibus & concionibus erat, deuina-
xerat, ut ceu parentem suum mortuum eum postea
luxerint. Nec immeritò quidem. Vt enim Reipub. si-
do Pastore nihil salutaris, sic grauius nihil ipsi ac-
cidere posse existimandum est, si eo immatura mora

E P I S T O L A

te destituatur. hoc praesertim tempore funestissimo, schismatisq; refertissimo, quo magna est praesentium uerbi dei raritas, maiorq; metuenda adhuc ad ipsius Domini minas, si non statim subsequatur uita nostrae in melius commutatio, Deiq; uerbum, quod efflatis buccis subinde uenditamus tantum, ipso opere non declarauerimus. Is Schaepperus hic honestus, quum festiuiori illo comico scribendi genere oblectaretur, quodq; ipsi à concionibus alijsq; pietatis studijs superrat tempus totum ferè in hoc consumeret: nec id quidem infelicitè, uti edite ab ipso satirae comediae & tragediae sex satis attestantur. Ex ijs enim iuuentus & pietatem, & sermonis puritatem uel cum ueteris etiam cuiusuis conferendam, haurire commodissime potest, adeò ut eas iuuentuti proponendas potius censeam, quàm ueterum aliquot lasciuium comicorum. Quum inquam sic subinde in Christianae iuuentutis gratiam lusitaret, pro libertate ea, qua in ipsum ego amicitiae nostrae iure fruebar, non destiti illum ad grauiora studia incitare, atq; imprimis ad conscribendas conciones suas, quas habuerat haectenus, quasq; posthac esset habiturus, cum ut exteris linguae nostrae ignaris, sic etiam consuleret, tum, ut eram amici gloriae studiosior, posteritati nomen consecraret. Ea in re libenter ille mihi, utpote mei amantissimus, tandem morem gessit, à concionibusq; hisce Catechisticis incepit, quibus eleganter sanè & eruditè ea ferè omnia complectitur.

DEDICATORIA.

tur, excutit, & explanat, quæ sunt prima nostræ religionis fundamenta. Et quamuis ubiq; breuis est & succinctus, ut auditoris lectorisue tædio cõsulat, uitetq; meritò uitandã in docendo præsertim, prolixitatẽ: at nihilominus susceptum argumentum ea dexteritate prosequitur & absoluit, ut eius studiũ ac diligentiam nemo facile sit desideraturus. Hinc satis constat, multæ lectionis, felicisq; ingenij fuisse hominẽ, ut qui breui opere res maximas, easq; homini cuius Christiano cognitu maximè necessarias, comprehenderit, & plerasq; difficiles quæstiones promptè, perspicuèq; expedierit, adeò ut & uulgo sit satisfactum, & tamen eruditi etiam suo fructu minimè fraudentur. Ita scripsit, ut omnibus prodesset, quanquam ijs potissimùm sua uoluerit opera consultum, qui necdum possint sublimia capescere, sed quos oporteat in ijs, quæ sunt fidei ac morum, è fundamento accuratius institui, ne ijs ignoratis, à toto salutis suæ scopo aberrant. Id quod plerisque hodie etiam eruditis usu uenit, qui posthabitis & contemptis illis, quorum nedum salutaris, sed etiam necessaria est cognitio, feruntur auidi in res superuacaneas, atque adeò perniciosas inuestigandas, quasi ea ratione conditi simus, ut bonas horas tam malè collocemus, quibus nos oportuit uti sapientissimè, ne ob malè transacta tempora à iusto iudice Deo extremis quandoque addicamur supplicijs. Ergo mihi planè sic persuasum ipse

EPISTOLA

se habeo, breui hoc opusculo tantum Christianæ Reli-
 gionis commodatum iri, quantum pleriq; magnis li-
 cet uoluminibus uix præstiterint, tum ob docendi
 accuratam methodum, tum ob luculentam uerborū
 ac sententiarum perspicuitatem, quibus id est illius
 auctor assecutus, ut possit facile à quouis percipi,
 modò ne omninò plumbeus & stupidus sit. Verum
 quando immatura auctor ipse morte abreptus opus
 quidem reliquit absolutum, nullam at operi præsi-
 xit epistolam, equidem eas partes tueri coactus
 sum: cumq; multum diuq; animo uersarem, cuius po-
 tissimū nomini dedicari oporteat, tu mihi impri-
 mis dignus usus es, Abbas colendissime. Principiò
 quidem, ut hoc æuo longè turbulentissimo, quo pas-
 sim in Domini gregem lupi teterrimi incurrunt, &
 perniciosis execrandisq; dogmatis sincerissimam
 Euangelicæ ueritatis lucem obscurare, Ecclesiæq;
 Catholicæ unitatem proscindere nituntur, ad ma-
 num habeas compendiarium hanc Christianæ Reli-
 gionis summam, qua hæreticorum pleraq; porten-
 tosa diluuntur & confutantur mendacia, quibus
 magna sanè sollicitudine adhuc obstitisti, ne qua ex
 parte in tuam ditionem possint irrepere: summa ni-
 mirum usus prudentia, quòd minime ignores, hære-
 ticorum sermonem ceu cancerem serpere, & nisi à
 primo statim limine arceantur, fieri non posse, quin
 aliquam incautis scabiem affricent. Prodigiosum re-
 uerà hominū genus, qui nulla re alia perinde ac ani-
 marum

DEDICATORIA.

marum summa pernicie delectari uidetur: & cum
 Christus Iesus colligere semper uelit, ipsi disperse-
 re ac dissipare malint. Qui utinam sua essent perdis-
 tione contenti, & non immeritos alios secum in tar-
 tara pertraherent. Atqui horum tu conatibus, ut dixi,
 sapiētissimè resistis, immortale ea re à Deo præ-
 mium, atq; apud bonos omnes summam atq; perpe-
 tuam laudem cōsecuturus. Possem ego hic multis te
 celebrare encomijs, sed uereor ne pro tua modestia
 agrè sis laturus. Multa enim certatim in te uno præ-
 dicando sese offerunt, ut est ipsa generis nobilitas,
 & antiquissima ac præclarissima familia à Vuach-
 tendonck, quæ per plures produxit insignes uiros,
 gubernaculis tum ecclesiasticis tum secularibus ad-
 motos: Vnde etsi non parum tibi accedit splendoris,
 non minus tamen eam tu illustras uera animi nobi-
 litate. Nec uulgarem laudem meretur in tam arduis
 uarijsq; negotijs rara tua ad literas propensio, qua
 factum est, ut non aspernandis impendijs anno supe-
 riori locupletissimam bibliothecam inciperes extru-
 ere, uehementer optans, ut, quod per ista plusquam
 ferrea tempora minimè licere dolendum est maxi-
 mè, longè magnificentissimam & absolutissimā pos-
 sis efficere: hoc potissimū consilio, ut fratres tui
 qui sub tua cura Christo militant, mentis potius
 quàm uentris delicijs inbient, atq; ex refertissimo
 optimorum uoluminum penu salutarem hauriant
 sapientiam, qua nedum sibi, sed alijs etiam quando-

que prodesse queant: denique legendi assiduitate
otiu, quo nihil est perniciosius, propellant, & muni-
di huius uanitates & inimica gaudia, atque omnem
denique uitiorum cateruam nullo negotio profli-
gent. Non enim temere scripsit uir ille sanctissimus
Hieronymus, Ama scientiam scripturarum, & uitia
carnis non amabis. Eodem omnino animi tecum stu-
dio flagrare uidetur Reueren. tuae frater, eximia
us D. Abbas Siegebergensis, quandoquidem ipse e-
gregiam etiam instituit bibliothecam, dignus profe-
cto, qui uel hoc nomine summis uebatur laudibus, ut
caetera eius egregia decora praetercam. Addenda
hic foret mira tua in pauperes liberalitas, quam hac
annonae caritate re ipsa abunde declarasti, Christum
in suis membris reficere ac fouere gestiens, nihil du-
bitans, quin id officij non in homines, sed in ipsum
Christum conferatur, licet auari plerique perditum
existiment, si quid miseris subsidij praestent. Sed ut
iam antea testatus sum, nolo in praesentiarum tuae
Reuerentiae encomiasten agere, obiter tamen par-
cissime quaedam subindicare potius, quam celebra-
re uirtutes tuas placuit, uti ne omnino tacitus eas
praeteriisse uiderer. Hoc unum autem mihi potissi-
mum hisce in literis propositum fuit ut nouum hoc
Schaepperi mei opus T. R. nuncupare. Quod equi-
dem ea facio animi propensione & alacritate, ut
hoc quamuis exiguo munusculo id nedum T. R. sed
etiam toti adeo orbi declaratum esse uelim, nihil mi-
hi esse

DEDICATORIA.

hi esse antiquius, quàm ut T. R. quouis modo gratificari queam, cui ob præstitam mihi beneuolentiã am sum perpetua quadam memoria obstrictus. Neque me tuo Monasterio indices desistit arctius deuincire uir multis nominibus mihi charissimus iuxtaq; uenerandus D. Christianus Nopencius Conuentus tui Prior, cuius singularis humanitas atq; minimè uulgaris eruditio, sic bonorum omnium fauorem promeretur, ut nõ debeam ego non precari Deum, ut & illius studijs & conatibus dexter aspiret, & is diutissimè possit existere, qui T. R. magno fuisse ad res præclaras adiumento, & tuo monasterio alio qui amplissimo maiori fuisse ornamento posteris uideatur. Deum precor ut tuam amplitudinem rebus eximijs florentem diu tueatur

incolumẽ. Coloniae ex tabernaculo

nostra libraria, ipsa

sis Calendis

Martij M. D. LV.

OPVSCVLI HVIVSCE
ordo, & tractatio.

I.	De Decalogo.	fol. 1
II.	De Symbolo Apostolico.	74
III.	De Oratione Dominica.	123
IIII.	De Septē Ecclesię sacramentis.	135
V.	De Salutatione angelica.	208
VI.	De digna Diuorū veneratione.	214
VII.	De Ceremoniariū aliquot Eccle- siasticarū significatione my- stica.	226

CON-

I

CONCIONES

ALIQVOT SVCCINCTAE IV-
XTA AC CATHOLICAE, DE PRAECI-
pui Doctrinae Institutionisque Christianae
partibus; à Iacobo Schæppero Presby-
tero iam recens & habitæ &
conscriptæ.

CONCIO PRIMA, DE VSV DECALOGI.



Vando quidem ego, fratres so-
roresq; in Christo chariss. ad
omnipotentis Dei gloriâ, sin-
gulari piorum hominum con-
silio, & in omnium vestrû pro-
fectum, per Quadragesimale
hoc tempus, primas Catechi-
smi Christiani parteis explicare ordine institui, pri-
mò omnium ab ipso auspicabor Decalogo: non,
quòd improbandum inuertendumq; ducam cum
ordinem, qui iamdudum receptus est in Ecclesia,
qui nimirum à Symbolo Apostolico initiû capit:
sed, quòd Decalogus tẽpore sit Symbolo ipso an-
tiquior, quodq; ordinem hunc instituto nostro
conuenientiorẽ arbitremur: nã decretû nobis est,
docendi gratiâ ordinẽ nunc illum sequi, qui in A-
dultorû Iustificacione seruari necessariò cõsuevit:
alioqui em̃ & scimus & ingenuè fatemur, fidem me-
ritò tenere primas, citraq; hanc frustra omninò in
pietatis negotio operã sumi, ideoq; nec Decalogû
ipsam tractari inculcariue cum fructu posse.

*Decalogus
Symbolo an-
tiquior.*

Cate.

Cæterum priusquam ipsa Decalogi verba proponam vobis, præfanda quedam mihi sunt, utpote non parum ad excitandam attentionem facientia. Primum nempe erit, à quonam Decalogus præscriptus sit: secundum autem erit, ecquid fructus seu utilitatis in eo consistat: tertium verò erit, num eidem & nos Christiani addicti simus.

Deus Decalogi auctor.

Principiò igitur quod ad primum attinet, certissimum ex sacrosanctis Scripturis est, Deum ipsum esse Decalogi auctorem, scripsisse que eum in tabulis dyabus manibus proprijs: legimus enim Exod. 32. inter alia: Erant tabulæ illæ factæ opere Domini. Scripturâ quoque Dei erat sculpta in tabulis, &c. Si autem Deus ipse Decalogi est & auctor & scriptor, æquissimum profectò est, ut in summo etiam is pretio honoreque à nobis habeatur: nam si Principis hominis suspicitur ac obseruatur Lex, quantò magis Dei suspicienda obseruandaq; merito venit?

Fructus Decalogi triplex. I.

II.

Quod verò spectat ad secundum, has habet Decalogus utilitates. Primò omnium ducit nos in peccatorum nostrorum agnitionem: ut sciamus scilicet, & vbi & quomodo & quàm grauius peccauerimus: hinc nimirum Paulus inquit Rom. 3. Per legem cognitio peccati. & 7. Peccatum non cognoui, nisi per legem. Hæc autem agnitio plurimum ad quærendam Dei gratiam seu ad Pœnitentiam nos promouet. Secundò docet nos Decalogus, quænam verè bona sint opera, quæ sit optima perfectaque Dei voluntas, in quibus potissimum rebus ipsissima vitæ sanctimonia consistat: iuxta illud Apost. Rom. 7. Lex ipsa sancta & mandatum sanctum ac iustum & bonum. Hactenus verò Decalogus nobis est ceu lapis lydius, ut vnde ex
peri-

perimentum capere possimus, num faciamus verè Patris nostri coelestis voluntatem, num Dei agamur spiritu. Rom. 8. Tertiò, est Decalogus pædagogia quædam spiritualis, cohercens nos, ne nimis euadamus impij, vt vel externè honestam agamus vitam. Vnde Paulus ait Galat. 3. Lex est pædagogus noster ad Christû. & ibidem: Propter transgressiones posita est Lex. Itē. 1. Tim. 1. Bona est Lex, si quis ea legitimè vtatur: sciens hoc, quia lex iusto nõ est posita, sed iniustis & non subditis, &c. Quum itaq; fructus tantos Decalogus habeat, à nullo sanè pio contemni ille aut vilipendi debet, imò verò debet suspici coliq; iure optimo ab omnibus.

III.

Sed dixerit hîc quispiam: quid nobis Christianis cum Decalogo? Is nanq; Iudæis datus est: nos verò Christiani sumus, non Iudæi: quin & liberati adhæc à Lege sumus per Christum, iuxta illud Rom. 6. Non sub lege estis, sed sub gratia. Ad hanc verò obiectionem sic responsum nos breuiter volumus: Christi doctrina haud dubiè ad Christianos nos pertinet. Christi autem doctrina, perpetua est absolutissimaq; Decalogi explicatio: vt vel ex 5. Matth. cap. sole clarius elucet. Consequitur ergo prorsus, verè pertinere ad nos Decalogum, non minus certè, atque ad Iudæos ipsos. Tametsi verò à Lege nos Christus liberavit, non inde tamen consequens est, non obligari nos seruando Decalogo. Nam eatenus liberati à lege sumus, quòd cæremonialia iudiciaq; Legis præcepta nos iam non ligent, quippe quæ ad tempus duntaxat, vsque ad CHRISTI inquam aduentum rudi Iudæorum populo sint addita. Sumus item & à maledictione Legis adserti, quam videlicet Scriptura legis vocabulo ali-

Obiectio.

aliquādo dignatur. Vnde Paulus: Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Galat. 3. Sumus denique hætenus etiam liberati à lege Christiani, quòd non coactè & vi legis (vt Iudæi) ad honesta impellamur, sed per Christi Spiritum (per quem nempe charitas Dei diffunditur in cordibus nostris) liberè vltroq; diuinam exprimamus voluntatem: quò vel illud Apostoli vnicè spectat: Si spiritu ducimini, non estis sub lege. Galat. 5. Cæterum ab impletione ipsa legis seu Decalogi aded non liberauit nos Christus, vt addictissimos quoque ei nos esse velit: nam id plus satis testatur ipsemet, dum in hæc erumpit verba: Nolite putare, quòd venerim soluere legem aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum ex mandatis his minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5.

*Obiectio da
lia.*

At obijciat rursus Antinomus aliquis: Quid igitur Paulus sibi vult, dum negat, credentes esse sub lege? Rom. 6. dum item scribit, Iusto non esse legem positam. 1. Timoth. 1. item: legem augere peccatum. Roman. 7. esse stimulum peccati. 1. Corinth. 15. operari iram. Rom. 4. esse denique administrationem mortis & condemnationis? 2. Corinth. 3. Hunc ergo nodum vt soluamus solidò cum fructu, obseruandum cum primis est, diuersa ratione loqui hic de Lege Apostolum, relatione nimirum spiritualium & regentorum, & relatione carnalium ac nondum renatorum. Spiritu

tuales seu iustificati non sunt sub lege, neque Lex ipsi posita est: quia Spiritu Dei (quo donati sunt) aguntur, huiusque ductu vltro & volunt & faciunt, quod lex præcipit, quod iustum est & honestum: quoniam itaque vltro ac alacriter rapiuntur huc, non sunt sub Lege, neque positam sibi legem habent, hoc est, non vi legis ad pia aguntur, suntque ob id ab huius seruitute ac terroribus immunes. Quòd verò lex virtus peccati esse dicitur, item auctrix peccati, operatrix iræ, mortisque & condemnationis administratio: id relatione Carnalium & nondum spiritu renatorum intelligendum est: nam in his, non in Iustificatis, effectus huiusmodi operatur Lex: idque non per se aut suâ culpâ, sed per occasionem & hominum vicio. Est nimirum ea deprauatæ humanæ naturæ indoles, vt nitatur semper in vetitum, cupiatque negata. Quando igitur carnalis homo peccatum per legem agnouit, iam fertur ad vetita confestim, ardentiusque quàm antea cognitis peccatis titillatur: atque sic fit virtus peccati, Lex. Quia verò qui nouit voluntatem Domini sui, nec facit tamen hanc, grauius peccat, plagisque vapulabit multis, facile videre est, quòd & augeat Lex eatenus peccatum, dum videlicet culpa pœnaque delinquentis fit maior: imò consequitur quoque hinc, quòd iram illa operetur, sitque mortis & condemnationis ministerium. Nam & irascitur peccator Legi, & irascitur vicissim peccatori Deus, sicque mors & condemnatio certò illum sequitur, iuxta illud, Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, Psalm. 5. item: Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Psalm. 118. Itemque: Stipendia peccati, mors. Rom. 6. Verùm (vt supra admonuimus obiter)

operatur Lex effectus huiusmodi, non per se, sed per occasionem, & hominum carnalium vitio, vitam nempe vertentium sibimetipsis in mortem: quemadmodum & Paulus Roman. 7. inquit, Inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse mortem. Nam peccatum (occasione accepta per mandatum) seduxit me, & per illud occidit. Alioquin certò nobis statuendum est, vti & Apostolus subiungit statim, sanctam esse legem, & mandatum sanctum iustumque ac bonum: ideoque pro thesauro & dono D E I incomparabili amplecti illam debemus Christiani, quippe quæ ad vitam nobis data sit, sitque pedum nostrorum lucerna lucida, illuminans oculos, conuertens animas, intellectum dans paruulis, Psalmi 19. & 118.

*Obiectio ter
tia.*

Porro autem, occurrit nobis in hoc Legis seu Decalogi negotio quæstio adhuc alia, num scilicet humanarum sit virium, seruare Decem Præcepta: & vtrum perfectè hæc implere possimus. Sed hanc ipsam nos in vltimam nostram de Decalogo concionem reijciemus, nam ibi commodior nobis offeretur de ea dicendi occasio. Interim tantum dicam hic, hominibus quidem impossibilem esse Decalogi impletionem, ac possibilem Christianis: & ad tantam nos implendieius perfectionem posse pertingere, quantam immensa Dei indulgentia ac bonitas pro ratione nostræ fragilitatis à nobis hoc in mundo exigit.

Et si iam præcipuas nobis obiectiones diluissè videmur, vnâ tamen reliquâ adhuc esse meminimus sentimusque. Ea nimirum est, quom ad vitam data sit Lex, quom ergo Paulus in Galatis viuificationem legem & iusticiam ex ea esse negat? Galatas 3: Vt

Vt itaque & hanc eximamus paucis, sicq; nihil re-
linquamus scrupuli: sciendum est, propterea Legi
adimi iustitiæ effectum ac viuificandi potentiam,
cùm quòd dare nequeat illa spiritum gratiamq;ue
implendi eius quod vel iubet vel prohibet, tum
quòd nemo mortalium (quamdiu is corpus illud
peccati circumfert) perfectè omninò (ea inquam
perfectione, quæ in exacto Dei iudicio possit con-
sistere) implere eam queat: nam vt Legi satisfacere
possimus, non Lex ipsa, sed Christus largitur:
quò minus verò satisfacere ei possimus perfectè
omninò, lex illa membrorum nostrorum (hoc est;
inhabitans peccatum, seu deprauata nostra natu-
ra) in causa est. Rom. 8. & 7. Attamen nihilominus
ad vitam data est ac seruit lex: etenim eò perducit
nos ostensione peccatorum nostrorum & com-
meriti supplicij, vt gratiam quæramus: perducit
& huc, vt accepta iam gratia piè vtamur, eamq;ue
conseruemus in nobis, hoc est, vt iustificati piè vi-
uamus, sicq; subministratur nobis abundè intro-
itus in æternum regnum Domini nostri ac seru-
toris Iesu Christi. 2. Pet. 1.

Quamquam ergo ad hunc modum multi sacræ
scripturæ loci occurrant & ab Antinomis adferan-
tur, qui in speciem videantur pugnare cum Deca-
logo, huiusq; & dignitatem & utilitatem extenua-
re: tamen, quoquouersum verterimus oculos, si
modò candidè & iuxta fidei analogiam omnia fu-
erimus interpretati, manet illi perinde suus ho-
nor, videmusq; magnam eius esse utilitatem, ne di-
cam necessitatem. Qui itaq; super aurum & lapi-
dem pretiosum (vt canit Plaltes) desiderabilis est,
eum & nos maximi æstimemus, meritaq;ue profe-
quamur obseruantia.

Sed finem faciemus nunc Concioni huic, ipsaque Decalogi verba proximè (auspice Christo) auspiciabimur. Vos interim, Auditores optimi, audita retinete & quàm cōmendatiss. vobis esse sinite.

CONCIO SECVNDA IN I.

DECALOGI PRAECEPTVM.

Avdistis in concione nostra prima, fratres soro-
roresque in Christo chariss. quàm magnificè
omnino de Lege seu Decalogo nobis sentiendum
sit, quantosq; complectatur in se fructus: vt non
dissidam proin, quin longè pluris habeatur idem
vobis iam, atque hactenus fortè habitus est. Ne ig-
gitor diutius vos morer, néve vobis ipsis in tanta
praesentis temporis angustia facessamus negotiū,
ipsis Decalogi verbis rectà accingemur. Vos in ea,
quam excitauimus vtcunque in vobis, attentione
& obdurate & progrediamini.

*Decalogi ta-
bule seu par-
tes dua.*

In duas ergo tabulas seu partes secatur Deca-
logus, vti & proximè obiter audistis. Prior nimi-
rum tria praecipua complectitur, solum concer-
nentia D E V M: Tabula verò posterior septem
mandata habet, quæ ad Proximum potissimum
attinent.

In praesentiarum verò, si tantum suppetierit tē-
poris, tabule prioris primum pro virili praecipuum
declarabimus.

Sic nimirum hoc ipsum habet, compendiosè
praesertim contractum: *Ego sum Dominus Deus tuus.
Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculpti-
le, vt adores illud.* Exod. 20. Deut. 5.

*Mandatum
primum &
praecipit &
prohibet.*

Mandatum hoc simul & praecipendi & prohi-
bendi vim continet. Quatenus praecipit quid-
dem est, requirit in eo Deus, vt se vnum verum &
Domi-

Dominum & Deum agnoscamus, se solum & ante omnia timeamus, in se vnum omnem nostram collocemus fiduciam, se vnum diligamus praeter omnes alios, se vnum adoremus, ad se solum in necessitatibus nostris tanquam ad asylum tutissimum confugiamus, apud se solum opem consolationemque omnem quaeramus. Quatenus verò prohibitum est, prohibet in eo Deus, ne deos alios iuxta se habeamus, hoc est, ne creaturae ulli (sive ea sit coelestis, sive terrestis, sive subterranea, sive aquatica, sive rationalis, sive bruta, sive viuens, sive mortua) diuinum honorem, timorem, amorem, fiduciamque deferamus: sed hanc, etiam si vel honoranda vel timenda vel diligenda sit, longè infra se collocemus, neque nisi & in se & propter se adremur aut veneremur.

Et nimirum Deus, Zelotes fortis: uti ipsemet ^{Deus Zelotes fortis} Exod. 20. testatur. Nec vult igitur neque ferre potest, ut cuiquam fidatur praeterquam sibi vni, ut quis adoretur praeter se solum, ut quisquam timeatur praeter se & extra se, ut quispiam denique ametur supra se. *Gloriam meam, inquit, alteri non dabo. Esa. 42. Ego ego sum Dominus, & praeter me non est saluator. Ego Dominus, sanctus vester, creator vester, & rex vester. Esa. 43. Ego primus & nouissimus, & praeter me non est Deus. Ego Dominus facio omnia, rego solus, extendo caelos, & dilato terram per memetipsum. Esa. 44. Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus, Deus iustus & saluator non est praeter me. Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. In Domino (dicit) meae sunt iustitiae & imperium. Esa. 45.*

Huic autem praeepto contraueniunt primò, qui ^{Qui huic praeepto contraueniunt.} crassam illam idololatriam exercent, hoc est, qui

eunq; (Gentium more) creaturas quaslibet & ha-
 rum simulachra pro Dijs adorant spemq; vllam sa-
 lutis in eis figunt: nam apertissimis verbis prohi-
 bet idololatriam huiusmodi Dominus hïc: Non
 facies tibi (inquiens) sculptile, neq; omnem simili-
 tudinē quæ est in cœlo desuper, & quæ in tera deor-
 sum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non
 adorabis ea, neq; coles: hinc & apud Esaiã clamat:
 Ego Dominus, hoc est nomē meum. Gloriam me-
 am alteri nō dabo, nec laudem meam sculptilibus,
 cap. 42. & Paulus quoq; noster acerrimē in insanos
 hosce idololatræ inuehitur, dū sic Rom. 1. inter
 cætera inquit, Dicentes se esse sapientes, stulti fa-
 cti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis
 Dei, in similitudinē imaginis corruptibilis homi-
 nis, & volucrū, & quadrupedum, & serpentiū, &c.
 Cæterū ne quis hinc & nostras statuas imaginesq;
 quas in templis Christiani habemus, cum gentili-
 tijs illis damnandas cēseat, sciamus in longē aliū
 finem haberi has à nobis, atq; Ethnici habuerint
 habeantq; suas: non enim Deos illos appellamus,
 neq; ipsis vt dijs seruimus, nec spem salutis in eas
 collocamus, neq; futurum ab eis expectamus iudi-
 cium, sed ad memoriam & recordationem primiti-
 uorū (Christi inquam ac Diuorū) easdem venera-
 mur. Huiusmodi autē memoria (quā visæ imagines
 nobis renouant) facit huc, vt inflammemur cū ad
 gratiarū actiōē Deo offerendā, tum ad imitatio-
 nē eorū, quorū imagines ceu trophæa cernimus.
 Quamdiu igitur intra limites hos cōstitimus, adeo
 nō est impius illarū vsus, vt & vtilis sit, idiotis ma-
 ximē: Sin verò idololatria accedat, aut corrigēda
 hæc est, aut tollendæ certē confringendæq; poti-
 ūs illæ sunt, ænei serpentis exemplo. 4. Reg. 18.

Aduer-

*Imagines in
 quem finem
 in templis
 nostris ha-
 beantur.*

*Imaginum
 vsus vtilis.*

Aduersantur item mandato huic, quicumq; co-
 lunt Dæmonia, hoc est, magicam exercent, augu-
 rium obseruant, pythones ac mortuos consulunt,
 apud hosq; quærun opem. Isti huc em exerte Do-
 minus prohibuit Leuit. 19. Non augurabimini, in-
 quiens, nec obseruabitis somnia. Leuit. 20. Anima,
 quæ declinauerit ad magos & hariolos, & fornica-
 ta fuerit cum eis, ponā faciem meam contra eā, &
 interficiā illam de medio populi sui. Vir siue mu-
 lier, in quibus pythonicus vel diuinationis fuerit
 spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos,
 sanguis suus sit super illos. Deuter. 8. Quando in-
 gressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus
 dabit tibi, caue ne imitari velis abominations il-
 larum gentium, nec inueniatur in te, qui iustret fi-
 lium suum aut filiam suam ducens per ignem, aut
 qui hariolos sciscitetur & obseruet somnia atque
 auguria: nec sit maleficus nec incantator, neq; py-
 thones consulat, nec diuinos, nec quærat à mor-
 tuis veritatem: omnia enim hæc abominatur Do-
 minus. Oritur autem quæstio hîc, num nocere
 quid nobis possint Malefici ac Sagæ, & num timē-
 di etiam sint. Hoc nempe statuendum nobis certè
 erit, neque hos neque ipsam Sathanam (citra Dei
 permissionem) ne vnicum quidem capitis nostri
 pilum impetere incuruaré posse. Cæterum, vbi
 permisit ille, plurimum profectò nocere isti &
 horrenda efficere possunt, vt in Iob cernere est,
 cap. 1. Interim tamen non ipsos, sed solum Domi-
 num (qui nempe vel ad illustrandam fidem no-
 stram, vel ob peccata quæpiam per illos exerceri
 nos sinit) timere debemus: dicentes scilicet cum
 Iobo, Dominus dedit, Dominus abstulit. Itemque,
 Manus Domini tetigit me. cap. 1. 19.

*Malefici &
 Saga non nocent
 si Dei per-
 missione non
 cere possunt.*

*In primum
præceptum
peccant
nostri seculi
prognostici.*

Faciunt & contra præceptum hoc, quicumque tempora & alia ac horum, vt aiunt vulgò, influentias obseruant, omniaq; contingentia siue bona siue mala ijs accepta ferunt. Ego Dominus, inquit Deus ille deorum, & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, Ego Dominus faciens omnia hæc. Esa. 45. Necessariæ quidem magnoq; emolumento vitæ humanæ sunt, vt D. Basilus in suo Hexæmero ait,

*Astrorum si-
gnificatio-
nes necessa-
riæ. si absit
superstitio-
si obserua-
re.*

Luminarium significationes: complura enim ex ijs de hymbribus, complura de siccitatibus, complura de flatuum agitationibus, siue vehementioribus, siue leuioribus, discere licet: quas ob eruationes & nautis & agricolis vtilis esse, nemo sanus it inficias: atque hinc & Dominus ipse Gene. 1. sic inter cætera dixit: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, sintq; in signa & tempora & dies & annos. Verum enim uerò superstitiosius tempora & astrorum cursum obseruare, omnesque nostros actus (imò natiuitatem ipsam, formam corporis, & animi indolem) tribuere illorum influxui, præterquam quòd ridiculum absurdumque id est, mera etiam existit idolatria.

*Primo man-
datum trans-
grediuntur,
qui diuos su-
perstitiosius
colunt.*

Sunt porro & huius mandati transgressores, qui Diuis seu sanctis honorem soli Deo debitum deferunt, in hos spem salutis locatam habent, his pro auxiliatoribus suoapte marte opem ferentibus abutuntur, ipsorumque intercessionibus (quasi scilicet citra has non exauditurus sit nos Dominus) plus nimio fidunt. Non dubium quidem est,

*Sancti pro
nobis inter-
cedunt.*

Catholicis præsertim, quin ij (iuxta Communis sanctorum Articulum) sedulo pro nobis intercedant, ac communem nobiscum Dominum pre-

precentur: nec negari solidè potest, posse nos, citra Christi mediatoris iniuriam, ipsis tanquam adhibitis comprecatoribus piè vti, quemadmodum & etiamnum viuentium hoc in mundo piorum orationes expetere possumus iuxta expressa sacrae scripturae tum testimonia tum exempla: neque denique ambigimus, quin plurimum interpellationes illorum apud Deum valeant: nam, si (vti Diuus Hieronymus aduersus Vigilantium scribit) Apostoli & Martyres in corpore adhuc constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quanto magis post victorias, coronas, & triumphos? Non tamen, ceu D. Chrysostomus docet, ex illorum nobis meritis pendendum est, nec ab eis gratiam salutemq; vllam petere debemus, neque ipsorum debemus superstitiose intercessionibus niti: sed, siue ipsi oremus soli, siue illi nobiscum & pro nobis orent, totum precationis interuentionisve huiusmodi effectum, gratuita Dei misericordiae, omnibus in veritate inuocantibus expositae, ac Christi meritis interpellationique tribuere, adeoque his vnice fidere nos oportebit: quò sic videlicet robur suum pristinum perpetuò in nobis retineat dictum illud Domini Zabaoth apud Esa. cap. 43. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me: & illud Christi, Ioan. 15. Quicquid petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis: & illud item Petri, Act. 4. Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Piè ergo Ecclesia, etsi Diuorum aliquando in orationibus suis intercessionem ambit, concludit tamen has omnes semper per Christum Dominum nostrum, hoc est, sola ipsius fiducia,

*Sanctis vt
comprecato
ribus vt
possumus.*

*Sanctorum in
terpellatio
nes apud De
um plurimè
valent.*

*Ecclesia om
nes ad Diuos
orationes cõ
cludit, per
Christum Do
minum nostrum.*

Seruat quoque eadem modum hunc in compellendis Sanctis, vt non ab ipsis gratiam opemque postulet, sed à Deo per ipsorum intercessionem: licet nanque inter alia eos compellat: Sancta Maria & omnes Sancti intercedite pro nobis miseris peccatoribus ad Dominum Deum omnipotentem, vt mereamur ab eo adiuuari, saluari, protegi, atque defendi. Eatenus itaque compellere illos, neque huic aduersatur præcepto, neque Pij vllis displicere arbitror.

Ecclesie in compellendis sanctis modus huic præcepto non aduersatur.

Reverum consecratarum abusus, est contra proprium præceptum.

In quem finem ecclesie res & creaturas quasdam consecrat.

Vt pergamus verò nunc, peccant & hi in mandatum hoc primum, qui sale consecrato, aqua lustrali, cereo Paschali, alijsque id genus aliorum abutuntur, quàm Ecclesia instituit: ad Magicam nimirum, & alias superstitiones plus quàm ethnicas. Non in finem alium consecrat Ecclesia & prædictas & alias insuper creaturas aliquot, quàm vt admoneat nos, nihil profus citra Domini gratiam opemque; ac benedictionem prodesse nobis posse. ideoque in quarumcunque creaturarum vsu ipsum solum & præsentaneum ipsius auxilium esse spectandum agnoscendumque nobis. Quicquid ergo creaturæ huiusmodi consecratæ (præter naturalem insitam sibi vim) boni salutis ferique operantur, id non ipsis aut ipsarum per se virtuti, sed soli diuinæ gratiæ benedictionique; in ipsis per verbum Dei & orationem operanti adscribi debet: ideoque non in ipsas & ipsarum operationes, sed in solam verbi Dei ac benedictionis diuinæ virtutem spes omnis collocanda vnicè est. Cæterum quidnā admonitionis doctrinæve ex singulis consecratis creaturis hauriendum nobis ventat, aliàs & commodiùs & fusiùs Christo auctore sumus explicaturi.

Præuaricantur præterea mandatum præfens & Primi præcep-
 illi, qui vel conceptis verbis vel admirandis igno- *pti præuaric-*
 tisque characteribus vel alio quoquo modo adiu- *catores &*
 rant morbos, sanguinem, gladios, aquas, animan- *hi, qui conce-*
 tia, & nihil non, ne progrediantur, neue quid no- *ptis verbis,*
 cumententi adferant. Et si autem tales Maleficorum *ignotisq;*
 albo verè annumerantur, nominatim tamen per- *characterio*
 stringere eos placuit, quòd ob sacrorum verborù *bus vim alio*
 characterumq; (vt ipsi inquiunt) vsum, rem se piam *quam tribu-*
 moliri arbitrentur, nolintque proin idololatriæ *unt.*
 argui: nam profectò ne tantillum quidem excusa-
 tio isthæc patrocinari eis potest: quò enim verba
 ipsa sanctiora sunt, hoc sunt illi detestabiliore,
 quippe qui verbis rebusque sacris ad tantam abu-
 tantur impietatem, ex hisque sibi faciant Deos
 alienos.

Hoc denique præceptum violant, quicumque *In hoc præce-*
 fidunt suis meritis seu propriæ iustitiæ, item labo- *pti peccant,*
 ri, scientiæ, sapientiæ, eloquentiæ, robore, pulchri- *qui propriis*
 tudini, nobilitati, sanitati, diuitijs, initis cum a- *meritis, viri-*
 lijs amicitijs ac fœderibus, cæterisque animi, cor- *bus, operibus*
 poris & (vt ita dicam) fortunæ bonis: adhæc verò, *animiq; dote-*
 qui proprij corporis curam tranquillitatemque *bus, etc. si-*
 ac voluptatem Deo anteferunt, vt sunt commes- *dunt.*
 satores, ebriosi, libidinosique item, qui toti diui-
 tiarum studio & mundi huius curis immerfi sunt,
 nempe, Mammonistæ seu auari: præterea, qui vel *Mammonistæ*
 metu vel fauore hominem pluris ducunt quam ip- *& auari.*
 sum Deum, ideoque vnus vel sceleribus conni-
 uent vel impia exequuntur iussa, quales sunt Au- *Aulicis pleriq;*
 lici plerique & assentatores alij: qui denique aut *que & Assen-*
 parentum aut coniugis aut liberorum aut amico- *tatores.*
 rum aut cuiuscunque demùm rei emolumentiq;
 gratiâ, offendere Deum non verentur. Quàm ve-
 B 7 rò exe-

rò execrabiles hi omnes in conspectu DOMINI sint, abundè testatur passim Scriptura. Hierem. 9. Esa. 28. 29. Roman. 10. 1. Corinth. 1. 5. 6. Matt. 6. 10. Luc. 21. & alijs infinitis in locis.

Ex hisce iam omnibus facilimè cuius colligere est, quemadmodum in rebus quibuslibet toto corde adhærendum nobis DEO sit, quibusque modis quis impingere labique possit in idolatriam.

Primi præcepti summa.

Summa igitur esto: Omnem spem, fiduciam, consolationem, gratiam, timorem, amorem, & quicquid vel sumus vel possumus, in vnum Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum perpetuò vniceque ac toto pectore collocare & dirigere debemus. Vndeunque item vllum nobis auxilium, vlla consolatio, vllus successus, vlla sanitas, vllum denique bonum venerit, id omne ac totum vni acceptum feramus.

Ita nimirum & diuinę voluntati satisfecerimus, & promissa tam corporalia quàm spiritualia præmia affatim consequemur, quin & vitam demum ingrediemur feliciter æternam.

CONCIO TERTIA IN

I. PRÆCEPTVM.

Superioris concionis de primo præcepto succinctoria & summaria repetitio.

Explicauimus in concione nostra præcedenti, charissimi mihi in Christo fratres ac sorores, & pro vicium nostrarum modulo & pro vestro a deò captu, primum Decalogi præceptum. In cuius nimirum declaratione accepistis inter alia ac summarim, quemadmodum Deus Optimus Maximus (vt fortissimus est Zelotes) nulli omninò creaturæ aut rei, quantumlibet alioqui præclaræ gratæque nobis, nos ac corda nostra adhærere si-

dereque velit, nisi vni sibi, utpote summo omnium bono, fonti que vnico bonorum omnium: auditisque proin, si modo (vt æquissimum est) mandato illi respondere piè velimus, ipso vno opere nos perpetuò & ex animo niti, in ipso solo quiescere, ipsum vnum longè lateque supra creata omnia diligere, solum ipsum timere ante omnia, soli ipsi summo cultu seruire, ipsius voluntati sanctissimæ vnicè obsequi, ad ipsum vnum tanquam adiutorem in tribulationibus indubitatisimum tempore duro confugere, nihil omnium denique nisi & in ipso & propter ipsum timere venerarique ac diligere. Quum igitur hinc didicerimus, equomodo ille corde coli à nobis velit: consequens est vt discamus porrò, quemnam & verbis impendi sibi velit cultum. Isthuc verò secundum tabulæ prioris præceptum luculenter nos docebit. Quare hoc ipsum nunc per DOMINI gratiam pro virili parte & contemplabimur & exponemus. Vestrum interim erit, vt animis pariter & auribus adsitis attentissimis.

Sic videlicet Dominus secundò inquit: *Non asue* *Docemur secundo præcepto, quomodo verbis colendus sit*
mes nomen Domini Dei tui in vanum. *Dens.*

Conuenientissimè profectò mandatum hoc primo illi subiunctum à DOMINO est: nam ipsis verbis declarari prodi que omnium primò solet, eccuius cor intus sit sententiæ: iuxta illud Lucæ sexto, Ex abundantia cordis os loquitur. Vt igitur verè appareat, toto nos corde adherere DEO, optimeque de ipso sentire: minimè certè frustra nomen eius sanctissimum usurpandum nobis est, immo verò piè ac honorificenter profus vti nos eo oportebit: nam vtrunque perinde vrgetur præcipiturque nobis

Nomen Dei in vanum nõ tantum non sumendum, sed piè etiam usurpandum

nobis hîc: non solum inquam ne in vanum illud sumamus: sed & contrâ, vt piè vtiliterque vsurpemus idem.

Per nomen Dei quid intelligatur. Per nomen autem Dei, vt huius admoneamus vos obiter, non ipsum modò nomen Deo in Scripturis tributum intelligere debemus, sed & eius verbum, naturam item, omnipotentiam, misericordiam, opera, Sacramenta, &c. Quemadmodum ergo nomen ipsum Dei non assumi in vanum debet, ita nec de istis vnquam temerè sinistreque aut impiè loquendum nobis est.

Qua secundo præcepto prohibeantur. Quatenus itaque præceptum hoc prohibendi habet vim, vult Dominus, ne leuiter citraq; suam gloriam ac proximi ædificationem nomine suo vtamur, ne per illud peieremus mentiamur, ne quem per idem deuocemus, ne quem deniq; sub sacrosancta eius contestatione decipiamus quoquo modo: ad hæc verò, ne se (ipsum inquam Deum) aut fidem nostram Christianam abnegemus, ne in se blasphemiam vllam seu execrationem iaciamus, ne de se rebusque ac operibus suis diuinis procaciter iocoseue vllò vnquam tempore loquamur, vel verbum suum vel audire detrectemus vel oscitanter aut frigidè audiamus, ne diuina sua Sacramenta prophanemus seu aspernemur, ne leuiter sineque fide ac deuotione vlla oremus, ne Nomine verboque suo ad vlla veneficia incantationesue abutamur, postremò ne deprauemus verbum suum, aut sub eius prætextu miserè simplices à veritate ipsa seducamus.

Sacrarum librarum de prauatione hoc præcepto prohibetur. Quæ secundo mandato præcipiuntur. Cæterum quatenus idem hoc Mandatum præceptiuum est, facillimum est assequi, ecquid in eo à nobis contrâ exigat Deus: nimirum, vt in summa Nomen suum veneratione habeamus, hoc coram

toto mundo confiteamur, idem laudemus & magnificemus, inuocemus illud seriò in aduersitate omni, per illud (vbi scilicet gloria ipsius & proximi necessitas id postulârit) sanctè iuremus: item, vt iusiurandum & pia vota fideliter seruemus, de rebus operibusque diuinis sobriè ac reuerenter verba faciamus, verbum suum saluificum sincerè tum audiamus, tum doceamus. Sacramenta religiose & veneremur & tractemus, precationi ardentius instemus, gratias denique ipsi in omnibus agamus perpetes.

Iurare vt liceat.

Vota seruanda.

Sobriè de rebus diuinis loquendum.

Etiamsi iam ex his abundè satis perspicuum cuius esse queat, qui nam peccent in Præceptum hoc: tamèn, in rudiorum gratiâ, genera aliquot Transgressorum huiusmodi subiiciemus.

Violant ergo hoc ipsum Mandatum, qui ad tertium fere quodque verbum & in rebus etiam nullius momenti iurant ore blasphemò per Dei Optimi Maximi potentiam, per Christi omnium Seruatoris & vulnera & crucem & mortem & Sacramenta, per quatuor elementa, per Matrem virginem ac Diuos omnes, perque alia id genus tremenda: qui item singulis suis sermonibus aut colloquijs, quamlibet alioqui stultis leuiculisque, immiscent subinde adorandum Iesu nomen, idque adeo citra necessitatem vllam, ex peruersa duntaxat consuetudine, nullaque prorsus adhibita reuerentia: adhæc, qui, etiamsi ipsi nomen Iesu non tam temèrè compellent, nullam tamen præseferunt reuerentiam, vbi huius aliqua inciderit mentio, non aperiunt caput, non flectunt genua, immo ne modica quidem capitis inflexione aut vultu honoris ei indicium deferre dignantur: cui tamen (iuxta Pauli sententiam) omne genu incuruari

In hoc præceptum qui delinquant.

*Prohibetur crebra illa Germania locutionis usurpatio
bey Gott.*

uari oportet, siue eorum, qui in ecclis sunt, siue qui in terris, siue denique qui in ipsis agunt inferis. Philip. 2. Audiant verò contemneratores huiusmodi, quid sapiens dicat: Nominatio (inquit) Dei ne sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum ne admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim seruus interrogatus assidue, à liuore non minuitur: sic omnis iurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur. Vir multum iurans, implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga, &c. Eccle. 23. Immo si parum dicto

Attende tu frequens blasphemator. hoc mouentur, ipsiusmet Dei audiant appendicem. Non erit impunitus, inquit ille, qui super re vana nomen eius sumpserit.

Peccant in hoc secundum præceptum, qui indignè de D. virgine atque sanctis Dei sentiunt. Caterùm præter eos blasphematores ac prophatatores temerarios, quorum iam iam meminimus, peccant & hi grauissimè in Præceptum hoc secundum, qui indignè de electis Dei sanctis & sentiunt & colloquantur: cuiusmodi sunt, qui castissimam Matrem virginem spurcis violatisque mulieribus assimulare non verentur, quos item sese (quantumlibet àlioqui sceleratos) ipsis Diuis æquiparare ac tantum non anteferre arroganter non pudet, qui denique miracula apud ipsorum reliquias passim facta Sathanæ præstigijs operibusque accepta ferre audent. Plus satis equidem ex sacræ scripturæ testimonijs constat, ab ipso Deo honorari sanctos, honorabileque profus esse nomen eorum coram illo: ipse enim Pater eos pro filijs suis agnoscit: Filius verò eos fratres amicosque ac cohæredes suos vocat: Viua denique Spiritus sancti fuere hinc templa. Honorificentissimè igitur nobis de illis est & sentiendum & loquendum, agnoscereque ac adorare in eis debemus.

*Audi tu religio-
quiarum sacrarum con-
temptor.*

*Sancti hono-
râdi, in eisque
Deus adorâ-
tus.*

multiformem Domini gratiam, huncque in ipsis laudare, eique pro tam eximijs ipsorum donis gratias agere: alioqui profecto, si (blasphemos illos imitantes) honore eos merito dedignamur, Christum ipsum & gratiam Dei in eis contemnimus: sique miracula, quæ per ossa illorum sunt, tribuimus Sathanz, horrendam inexpiamque in ipsum Spiritum sanctum (qui nimirum eorum in ipsis effector est) committimus blasphemiam. Matth. 12. Luc. 11. Legimus de Eliseo Propheta, quod mortuum prophetauerit corpus eius, quodque in morte etiam mirabilia operatus sit. Eccles. 48. Quid mirum ergo, minimeque incredibile videatur, si & in nouo Testamento mirabilia signaque per digitum Dei operentur mortua diuorum corpora? Alitè itaq; infideat hic animis nostris dictum illud Christi terribilissimum, ad blasphemos Phariseos prolatum olim: nimirum, quicumque dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remitteretur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Matth. 12.

Porro autem, ne solis verbis blasphemari augustissimum Dei nomen putemus, statuamus certò, esse & illos Precepti huius transgressores, qui, quum populus Dei sint, nomenque ipsius portent externa professione, impiam interim ac detestandam modis omnibus vitam agunt: ita, vt factis Deum negent, isque propter ipsos blasphemetur ac pessime audiatur apud nationes incredulas. Tit. 1. Roman. 2. Ad hunc nempe modum & nos hodie (pro pudor) moribus factisque nostris propudiosissimis corruptissimisque; amplissimam tum Turcis tum Iudæis blasphemandi Dei nostri (ac Christi præsertim) materiam occasionemque damus. Verùm subeat hic animum, quid DOMINVS dicat in Euangelio:

*Impora nobis
stra vita Turp
cis et Iudæis
damus occasi
sionem bla
phemandæ
Deum.*

Væ mundo à scandalis. Væ homini illi, per quem scandalum venit. Matt. 18. Ideo que, si consultum salutis nostræ volumus, sic agamus per omnia, vt declaremur gnesij Dei ministri, nec Domini nomen ac doctrina nostrâ culpâ blasphemetur. 2. Corinth. 6. 1. Timoth. 6.

Hicce iam Concioni nostræ præsentis colophonem addere decreueramus: nam impiam illam vulgaramque execrandi seu deuouendi consuetudinem in quintum Præceptum reijcere stat sententia. Attamen, quando in superioribus Iurisiurandi facta mentio est, operæ nos pretium facere arbitramur, si hic paulò explicatius de eo agamus, motamque controuersiam dirimamus pro virili: Diximus igitur paulò antè, iurare nobis esse licitum, si gloria Dei & proximi necessitas id postulet. Huic verò aduersari ex diametro videtur, quòd & Christus ipse & huius Apostolus D. Iacobus iurare omninò prohiber: sic enim inquit Dominus: Ne iuretis omninò: neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est est, non non: quod enim hjs abundantius est, à malo est. Matth. 5. sic item Diuus Iacobus ait: Ante omnia autem fratres mei nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester, est est, non non: vt non sub iudicium decidatis. Iacob. 5. Hi duo loci inquam omnia prorsus iurisiurandi genera citra exceptionem vllam tollere damnareque videntur. Verùm enim uerò, si quid Patrum orthodoxo-
rum

tum valet apud nos (vt merito debet) auctoritas *Iuxta sententiam Patria*
 aut iudicium, non omni iuramento interdicitur *non omni iuramento non*
 nobis hic, sed temerario illo ac spontaneo tan- *bis interdicitur, sed temerario illo*
 tum, quo nimirum in re futili nihilique vtuntur *duntaxato*
 homines: illud autem, quod pro gloria Dei neces-
 sario sumitur, quodque vel proximi salus extor-
 quet vel ad lites dirimendas exigit Magistratus,
 & licitum est & honestum: nam sic dicit Dominus
 Deuter. 6. Per nomen eius iurabis: & Dauid Psalm.
 14. Qui iurat proximo suo, & non decipit: qui non
 accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo
 proximo suo, is habitabit in tabernaculo tuo Do-
 mine: item idem Psalm. 62. Laudabuntur omnes
 qui iurant in eo. Vnde & Christus ipse saepe nume-
 ro veritatem in testem adducit: Amen amen, in-
 quiens, dico vobis: adeoque Paulus etiam: Testis
 (inquit) est mihi Deus, Roman. 1. Testem Deum in-
 uoco in animam meam. 3. Corinth. 1. Vt ergo con-
 cludamus locum hunc, omni planè iureiurando
 abstinendū nobis est, nisi quoties vel fidei nostrae
 necessitas vel singularis proximi utilitas vel alio-
 qui veritatis defensio ad iurandū nos compulerit.

Postremò verò, quando edocti iam vtrunque
 sumus, ecquomodo in vanum seu temerè sumatur
 sanctissimum Dei nomen, quoniam contra pacto
 piè idem vsurpari à nobis possit: reliquum est, vt
 audita in ima cordium nostrorum penetralia de-
 mittamus, caueamusque proin sedulo ab abusu
 ipso, ac pium germanumque contra vsū & com-
 plectamur & vrgeamus porro modis omnibus:
 quò sic videlicet praemia ea de re in Scripturis pro-
 posita feliciter nobis contingant, hoc est, glorifi-
 cemur. 1. Reg. 1. eripiamur ab inimicis. Psalm 17.
 omnia accipiamus à Patre. Ioan. 16. habitemus in

tabernaculo Domini. Psalm. 14. & æternum salu-
mur. Ioel. 2. Rom. 10.

CONCIO QVARTA IN

III. PRAECEPTVM.

DVo admodum & necessaria & salutifera, fra-
tres sororesq; in Christo dilectissimi, in pro-
ximis duabus concionibus audiistis: nimirum,
ecquomodo colendus à nobis sit Deus noster, tum
corde, tum ore: nam corde (vt Paulus inquit) cre-
ditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salu-
tem. Roman. 10. Verum profectò non minus ne-
cessarium salutareque erit, quod audietis in con-
cione praesenti: ideoque nec segnius animum ad-
uertere debetis nunc, atque antè fecistis.

*Deum in sui
cultu totum
hominem re-
quirere.*

*Opere non
secus atque
ore colendus
Deus.*

Si nimirum exactius penitiusque sacrarum lite-
rarum inspiciamus ac discutiamus testimonia, elu-
cescet euidenter omninò, Deum Opt. Maxi. requi-
rere vbique in sui cultu totum hominem, hoc est,
omneis æquè hominis vires, tam corporis quàm a-
nimi, tam exteriores quàm interiores. Atq; vires
hæ non in solo corde oreq; consistunt seu finiun-
tur, sed & in opere ipso. Consequitur igitur irrefra-
gabiliter, tam opere seu factis coli illu à nobis vel-
le, quàm corde & ore, hoc est, cogitatiõibus ac ver-
bis: nam hinc, vbi ille diligendi sui modum sum-
marium nobis praescribit, non totum modò cor &
mentem totam, sed & totã animam atq; omnes vi-
res in sui dilectione adhiberi vult: ideoq; & toties
opera in scripturis passim cum laudantur, tũ præ-
cipiuntur ac inculcantur.

Ne verò cui interrogare hinc opus sit, quum re-
quirat omninò & opera Dominus, quo nam ergo
modo velit his coli? soluit per commodum hanc
quæ-

quaestionem tertium Decalogi praecipuum, quod nempe explicare in praesentiarum (quantum ipsius auctor dederit) decreuimus.

Ita videlicet hoc ipsum habet: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.* In his inquam verbis (et si paucissimis) declaratur, e quo modo ipsis operibus coli Dominus velit: ad hunc nimirum modum, ut Sabbathum sanctificemus, hoc est, sanctè traducamus.

Sed oboritur hic statim quaestio: Quum Sabbathum ad partem legis caeremonialem pertineat, quumque à caeremonijs Iudaicis (ut supra docuimus) adseruerit nos Christus, e quo igitur ad huius obseruationem obligemur Christiani? Ut ergo scrupulum huc tollamus, sciendum est, non externam duntaxat esse obseruationem seu caeremoniam Sabbathum, sed habere idem & vim legis moralis, hoc est, ad pietatem ac bonos mores conferre. Atqui quicquid vel in Decalogo vel in Prophetis ad bonos mores spectans habetur, ei seruando implendoque; (quæadmodum in prima nostra conuentione abundè satis euicimus) non minus deuincimus nos, atque Iudei ipsi olim. Cõsecrarium itaque est, nos ratione hac tam ad ipsam Sabbathum quam ad alia præcepta moralia exequenda astringi.

Est autem Sabbathum duas potissimè ob causas morale, propter quas & institutum à Deo est. Primò videlicet, ob proximi dilectionem, quæ in eo exercetur & exerceri debet: quæ nempe consistit in hoc, ut familiæ nostræ detur alterna quies post laborem, ne nimio ea laborandi onere exhaustiatur: quò illud Deut. 5. in primis pertinet: Septimus dies Sabbathi est, id est, requies Dñi Dei tui. Non facies in eo quicquã operis tui, & filius tuus & filia, seruus & ancilla, bos & asinus & omne iumentum tuum,

& pere-

*Operibus
colendus
Deus.*

Quæ ad Sabbathi obseruationem obligemur.

Sabbathum duplici de causa morale à Deo institutum.

I. Ob proximi dilectionem.

& peregrin⁹ qui est intra portas tuas, vt requiescat feruus & ancilla tua, sicut & tu. Deinde verò & omnium maximè ob cultum diuinum morale Sabbathum est: nam in hunc finem & conditi & regentis sumus, vt colamus veneremurque Deum: et si verò huc semper (in medijs etiam laboribus) colere debeamus, vix tamen possumus ita vt par est animos ad ipsum attollere ac solis diuinis cœlestibusque rebus vacare, nisi à laboribus negotijsque externis liberi: quum ergo Sabbathum, hoc est, feriatio corporalis Sabbathi die præscripta, ab illis nos liberos reddat, non parum certè cultum diuinum inde prouehi excitarique in nobis fateri cogimur.

II.
Ob cultum
diuinum.

Non tantum
externo cultu,
Iudaorū
more Sabbathum
observandum.

Sabbathum
duplex.
Externum.

Internū seu
spirituale.

Sanctificatio
sabbathi
etiā duplex.

Corporalis
seu externa
sabbathi
sanctificatio

Vide: Hæc est causa, quò magis otium illud Sabbathinum frequentemus Christiani: alioqui certè, si (Iudæorum more) aliud curaremus nihil quàm externas corporalesque duntaxat ferias & deliciauiorem vestium cultum, longè præstaret laborare interim atque otium agere.

Cæterum sciamus, duplex esse Sabbathum: nimirum, non externum duntaxat, sed & internum seu spirituale. Externum quidem, de quo & hætenus egimus, Iudæis fuit dies septimus, at Christianis nobis octauus dies est, quem Dominicum vocamus. Internum autem & spirituale, est omne vitæ nostræ tempus, siue festum id sit, siue operosum.

Iuxta hanc igitur diuisionem, & sanctificatio ipsa Sabbathi duplex, corporalis scilicet, & spiritualis.

Quod ergo ad Sabbathum externum attinet, requirit hoc tertio præcepto Dominus, vt die Dominica (sed & alijs Ecclesiæ diebus festis) à labore manuum reliquisque negotijs secularibus feriemur, interimque verbo suo diuino vacemus, interimus
rei sa.

rei sacræ & cæteris pijs cæremonijs officijsq; , seruiamus sibi in hymnis & canticis spiritualibus, veram peccatorum per totam exactam hebdomaden admissorum agamus pœnitentiã , precationibus flagrantibus incumbamus, ad sacram synaxim accedamus, gratiarum actionibus instemus, erogemus eleemosynas, sobriè & castè agam⁹, visitemus ac cõsolemur infirmos, salutaria instituamus colloquia, familiã nostram probè in Catechismo formemus, aliaq; deniq; pietatis ac charitatis exercitia urgeamus. Hoc enim verè sanctificare Sabbathum est: sic inquam agere ferias, his item & meditationibus & operibus uti, vt nil nisi quod sanctũ piũq; est deprehèdatur in nobis, vtq; dies festus nostris operibus sanctior diebus alijs reddatur.

Peccant verò in Sabbathum huiusmodi exter- *Quatuor ha*
num, quicumque festiuis diebus operis aliquid vel *minum gene*
ipsi faciunt vel per suos fieri curant, citra neces- *ra in Sabban*
tatem vllam, ex sola auaritia. Necessitas quidem si *thum extero*
urgeat, excusabilis est & licitus labor: quemadmo- *num peccat,*
dum Dominus discipulos suos excusat, quòd spi- *I.*
cas velleret Sabbatho. Excusat item laborè quem- *Auari.*
uis euidens proximi vtilitas, ceditq; præceptũ hoc
ipsi charitati: vt Dominus ipse & exẽplo proprio
& firmissimis etiam rationibus contra calũnian-
tes Pharisæos in Euangelio euincit. Verũ certè
peccat criminaliter, qui vel ex auaritia sola vel
ex procacitate quapiam Sabbatho laborat, sicq; ue
& ordinem Ecclesiæ rumpit & alijs obijcit offen-
diculum.

Sunt verò & ij mādati huius violatores, qui etsi II.
ab opere ipso seruili feriantur, nihil tamen inte- *Qui corpore*
rim pij salutiferiq; agunt, sed torpore & otio aut *& otio diem*
deambulationibus transmittunt diem sacrum. *sacrum tram*

Qui deambulationibus & colloquijs in templis prophanant. Transgrediuntur item hoc præceptum, non solum qui cultui verboque diuino interesse detrectant, sed & illi qui (tamen si adsint) prophanis interim vel deambulationibus vel colloquijs indulgent, atque ita & Deum ipsum habent ludibrio, & piorum meditationes sacras inturbant.

III. Sunt denique & illi (ac omnium quidem maxime grauissimeque) Sabbathi prophanatores, qui *Qui ferias commestationibus, lusu, & similibus* ferias sanctificationi soli dicatas commestationibus, ebrietatibus, aleis, spectaculis, choreis, alijsq; & sceleribus & lusibus & vanitatibus turpiter absumunt.

III. Porro autem, vt ad internum quoq; Sabbathum redeamus nunc, exigitur præcepto hoc in super, vt *Interna seu spiritualis Sabbathi sanctificatio* omnibus æquè vitæ nostræ diebus à peccatis & volutate nostra deprauata feriemur, vt sinamus Dominum operari sua in nobis opera, inq; sanctitate ac iustitia seruiamus ipsi. Atque huic sanè Sabbathizationi seruit vnicè obseruatio Sabbathi externa: nam in sinè hunc certis temporibus feriè nobis indicuntur, vt perpetui admoneamur Sabbathismi,

Feria in quem finem indicuntur. sicq; paulatim & quotidie (in medijs etià externis occupationibus) pietati dare operam omnem adfuescamus, cui nimirum fini ni respondeamus strenuè, aut nihil certè aut perparum feriatio ipsa externa seu intercalaris profuerit. Huc iam vnicè spectat Dauidicum illud: Declina à malo, & fac bonum. Psal. 33. 1. Pet. 3. Item quod apud Esaiam dicit Dominus: Lauamini, mudi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, discite benè facere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Esa. ca. 1. Et apud eundem: Custodiens Sabbathū, ne polluat illud, custodiens manus suas

Loci scripturæ de Sabbatho interno. ne fa-

ne faciat omne malū. Qui custodierint Sabbathā meā, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meū, ijs dabo in domo meā & in muris meis locū, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Esa. 56. Et ibidem: Si auerteris à Sabbatho pedem tuum, vt non facias voluntatem tuam in die sancto meo, &c. tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob Patris tui. Esa. 58. Hi inquam loci omnes ad Sabbathismum internum, ad eiusque & necessitatem & vtilitatem summam pertinent.

Vt contrahamus igitur vela, sic & internum & externum Sabbathum sanctificemus, quemadmodum accepimus iam, vt nimirum, cum quotidie, tum verò Dominicis festisque diebus, ab omnibus peruersis affectibus verbisque, & operibus feriemur, soli; Deo ac iustitiæ cōtrā cōsecremus & nosmet & nostra omnia: quò videlicet ad modum hunc transformemur renouemurque de die in diem, vt non iam amplius viuamus nos, sed viuat in nobis Christus, Amen.

CONCIO QUINTA IN

IIII. PRAECEPTVM.

HAstenus, fratres sororesque in Domino electissimi, prioris tabulae praecepta utcumque elucidauimus: ex quibus quidem haud obscure omninò edocti estis, eequomodo Deus Optimus Maximus colī à nobis corde verbisque & operibus velit. Faxit interim is, vt & altè omnia animis vestris insideant, & toto conatu per vitam omnem ab omnibus nobis exprimanur. Nunc verò ad tabulae posterioris mandata porrò accingemur:

*Posteriores
tabula præ-
cepta, quid
proximi de-
beamus de-
cent.*

ex quibus nimirū pari audietis (vt spero) luculen-
tia. quidnam proximis seu hominibus debeamus,
qualesiue erga eos nos vndiquaque esse oporteat:
nam & hos vult à nobis coli Dominus, sed post se,
ac propter se. Ceterū primum duntaxat huius ta-
bulæ præceptum in præsentiarum tractandum su-
memus, dein & ad alia pedetētim progressuri. Vos
interea, vti hucusq; summa cum laude animadu-
uertistis, ita & iam animis iuxta ac auribus nobis
adestote.

*Post Deum
sunt nobis
parentes pro-
ximiores.*

Sic itaque mandatum proximum habet: *Honora
patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terrā.*

Post Deum, nullus mortalium propior con-
iunctiorque nobis est, atque ipsi sunt parentes,
qui nos genuere: nam ex carne ossibusque ipso-
rum sumus, infinitasque ij propter nos deuora-
runt ærumnas ac molestias, vt piam religiosamque;
interim nostri educationem prætereamus silen-
tio. Vult igitur Dominus, vt primum etiam & po-
tiorē his (præ omnibus alijs) deferamus hono-
rem. Honos autem is, non in gestibus modò reue-
rentiam præ se ferentibus aut verbis amicis bene-
uolisque consistit, sed & in ipsis factis: vt nimirum,
quemadmodum coram illis vel aperimus caput
vel inflectimus genua, aut benigniter etiam eis
& loquimur & respondemus, ita & ipso-
rum lubentes obediāmus iudicio ac voluntati, ad errata
illorum peramanter conuicueamus, ipsis inseruiā-
mus, ipso-
rum succurramus inopiæ, erga ipsos de-
nique fidelitate filiali vtamur. Hinc nempe Syra-
chus inquit: *Honora patrem tuum, & gemitus ma-
tris tuæ ne obliuiscaris. Memento, quòd nisi per
illos natus non fuisses: & retribue illis, quo-
modo & illi tibi. Ecclesiast 7. Hinc & Thobias: Ne
despe-*

despexeris (ait) Matrem tuam, honora eam omnibus diebus vitæ tuæ, & fac quod placitum est ei, nec tristitia afficias eam Memento fili, quòd multa pericula viderit propter te in utero. Thobi. 4. Sed & rursus Syrachus dicit: In opere, & sermone, & omni patientia honora Patrem tuum. Fili, suscipe senectam Patris tui, & ne contristes eum in vita ipsius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua. Ecclesi. 3. Quò & Solomon collimat: Patrem (inquit) tuum audi, qui genuit te: & ne contempnas, quum sequerit Mater tua. Proverb. 3. Cæterum præterquam quòd vel ius ipsum naturæ ad repensationem huiusmodi nos obligat, ingens quoque inde ad nos dimanat præmium: nam sic (præter vitæ diuturnitatem in Decalogo expressam) inquit Ecclesiasticus: Eleemofyna Patris non erit in obliuione. Nam pro peccato Matris restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui, & (sicut in sereno glacies) soluentur peccata tua. Ecclesi. 3. Et ibidem paulò superius: Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat Matrem suam. Qui honorat Patrem suum, iucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat Patrem suum, vita viuet longiore: & qui obedit Patri, refrigerabit Matrem. Quò & illud Pauli Ephe. 6. spectat in primis, vbi is ad hunc præcipit modum: Filij, obedite Parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est. Honora Patrem tuum & Matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terrâ. Porro autem, vti dignè Parentes suos venerantibus & hæc & alia in scripturis promittuntur præmia, ita exonorantibus illos horrendæ contræ minæ pos-

Premium honoris parentibus delati.

*Pana & mi-
ne parentes
exhonoranti
bus que ma-
uans.* nãq; intentantur. Sic enim Deut. 27. inquit Moses:
Maledictus, qui non honorat Patrem suum & Ma-
trem suam. Item Exod. 21. Qui percusserit Patrem
suum aut Matrem, morte moriatur. Qui maledi-
xerit Patri suo vel Matri, morte moriatur: & Solo-
mon Prouerb. 19. Qui affligit Patrem & Matrem,
ignominiosus est ac infelix. Item ibidem cap. 28.
Qui subtrahit aliquid Patri suo & Matri, & dicit
hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.
Quàm malæ famæ est, qui derelinquit Patrem: &
est maledictus à Deo, qui exasperat Matrem. Me-
minerint verò & ipsi Parentes sui hîc officij, vt vi-
delicet Liberis vicissim debitam curam impendãt,
hoc est, hos sincerè ament, sollicitè educant ac cu-
stodiant, in timore Domini & omni probitate in-
stituant, decentique animi moderatione tractent.
Ad hunc enim modum Scriptura præcipit: Filij si
tibi sunt, erudi illos, & curua eos à pueritia sua. Fi-
liæ si sunt, serua corpus illarum, & ne ostenderis
hilarem faciem tuam erga illas. Eccle. 7. & rursus
ibidem: Lacta filium tuum, & pauentem te faciet:
Iude cum eo, & contristabit te. Ne corrideas illi,
nec condoleas, & in nouissimo obstupescant den-
tes tui. Ne des illi potestatem in iuuentute, & ne de-
spicias cogitatus illius, curua ceruicem eius in iu-
uentute, & tunde latera eius dũ infans est, ne fortè
induret & nõ credat tibi, & erit tibi dolor animæ.
Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitu-
dinem illius offendas. Ecclesi. 30. huc verò & illud
Pauli spectat: Patres, nolite ad iracundiam prouo-
care filios vestros, sed educate illos in disciplina &
correctione Domini. Ephe. 6. Col. 3. Quid fructus
autem hinc ad Parentes deriuetur, his breuiter ver-
bis Syrachus effert: Qui diligit filium suum, adsi-
duat

duat illi flagella: vt lætetur in nouissimo suo, & nõ palpet proximorum ostia. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio inimicorum gloriabitur in illo. Eccle. 30.

Ex hisce iam omnibus (vt opinor) fatis superque colliquet, quidnam requiratur Præcepto hoc quarto, quod præsertim ad corporum nostrorum progenitores attinet. Quia verò sub Parentum nomenclatura ipsi etiam comprehenduntur simul Pastores, Susceptores, Præceptores, Magistratus politici, Patresque & Matres familiâs: haud profectò ab re erit, & de horum veneratione digna nonnihil porrò differere, imò & eorundem munia suis debita obiter delineare.

Vt à Pastoribus ergo exordiamur, neminè tam perfrixtæ omninò frontis esse putamus, qui hos nõ honorandos modis omnibus censeat: nam si parentibus ijs, qui corpus duntaxat & genuère & seruant, honos debetur: optimo sanè iure & illi, quippe qui animas nostras per verbum Dei ac Sacramenta gignant cibentq; veneratione haud medio cri prosequendi sunt: atque huic nostro iudicio ipse etiam Paulus insigniter subscribit, dum sic inquit 1. Tim. 5. Qui benè præsumt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè, qui laborant in verbo & doctrina. Hunc autem debemus illis honorem, primò, vt honorificè de ipsis sentiamus, dein vt diligamus eos impense, hinc vt illorum pijs monitis morem geramus, tandem vt vitæ eis subministremus necessaria: sic enim apud Apostolum habemus: Sic nos existimet homo, tanquàm ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei

*Parenti non
nomenclatura
qui compre
hendantur.*

Pastores.

*Pastores que
modo hono
randi.*

Dei. 1. Corinth. 4. item: Rogamus vos fratres, vt nō ueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos: vt habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum, pacem habete cum eis. 1. Thes. 5. item: Obedite præpositis vestris, & subiaceate eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & nō gementes. Heb. 13. item: Cōmunicet is qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat in omnibus bonis Galat. 6. Cæterum Pastores debent vicissim cōmisso sibi gregi summam vigilantiam seu sollicitudinem, sedulam item sanę doctrinæ exhortationisq; passionem, atq; singulare vitæ innocentis exemplar. Huc enim (præter locum illum, qui est Act. 20.) illud Petri cum primis pertinet, vbi is in hunc ait modum: Seniores qui in vobis sunt obsecro, consenior, & testis Christi passionum, eiusq; quæ in futuro reuelanda est gloriæ communicator: pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum: neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè: neq; vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 1. Pet. 5.

Pastorū erga suos officiu.

II. Iam verò quod ad susceptores (quos Patrimos *Susceptores*, Matrimasq; vulgò vocant) attinet, debetur & ijs non mediocris honos, vt qui in Sacramentorum primorum sumptione suam nobis operam detulerint, nec minimam profectò paternæ spiritualisq; curæ in sese receperint portionem. Sic autem venerandi hi nobis sunt, non modò vt externa erga eos reuerentia vtamur, sed & vt amemus illos ex animo, vtq; pijs adhæc ipsorum monitis pro virili omni obediamus. Sed meminisse interim illi sui probè officij debent, vt honore scilicet amoreque

Susceptores vt à nobis venerandi.

Susceptorum erga infan-

ac obseruantia huiusmodi digni sint: hoc est, ea *res, puerosuo*
 quæ pro infantibus puerisque sanctè expromise- *officium.*
 runt, ipso etiam opere in illis exequi satagant: vt
 nimirum in fide catholica ac doctrina Christiana
 sedulo eos instituant, ad omniaq; pietatis munia
 & amplectenda & vrgenda cohortentur: alioqui e-
 nim, quemadmodum à fideiussore exigat creditor
 debitum, ita & ab ipsis sanguinem illorum requi-
 ret Dominus.

Porro autem vt de Præceptoribus quoque seu *III.*
 Pædagogis agamus hic, gerunt & hi aliquotam so- *Præceptoribus.*
 licitudinis paternæ partem: nam vt Parentes natu-
 rales corporum genitores existunt, animarumq;
 Pastores ac susceptores funguntur cura: ita illi ani-
 morum pueritiæ sunt formatores, imbuentes ni-
 mirum hos (præter literas) & moribus ciuilibus &
 primis religionis Christianæ elementis. Debent igi-
 tur & ipsis honorem suum Discipuli: vt nempe
 reuerentiam eis decentem exhibeant, eos timeant,
 ipsis obsequantur inq; persoluenda mercede sint
 grati erga illos. At videant hi ipsi interim, vt suo
 vicissim gnauiter muneri respondeant, hoc est,
 concreditam sibi iuuentâ diligenter in literis mo-
 ribusq; ac pietate forment, in peccantes animad-
 uertant, innocentesq; contra violentorum petu-
 lantiam pro virili omni defendant, sed ante om-
 nia nullis prorsus teneras mentes prauis opinio-
 nibus inficiant.

Sed veniemus nunc & ad Magistratum politi-
 cum. Is certè haud immeritò patris patriæ eulogio *III.*
 insignitur, estq; modis infinitis humanæ vitæ & *Magistratus*
 necessarius & utilis: nā cū bona nostra, tum cor- *Politicum.*
 pora nostra tuetur: quæ vtraque alioqui & vbiq;
 locorum & semper indicibilibus perniciosissimis-
 que

que essent periculis exposita, neq; vsq; iam tutò possent cōsistere. Vnde nimirum & Paulus inquit: Dei minister est Potestas, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladiū portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè agit. Rom. 13. Quum ergo Dei minister Magistratus sit, quumq; idem nostri agat defensorem contra violentos improborū incurfus: nemo non videt, deberi & ipsi honorem obseruantiamq; singularè. Cōsistit aut̄ honor huiusmodi in hoc potissimū, primò vt omnem Potestatem seu Magistratū à Deo esse statuamus, ideoq; optimè sentiamus de superioribus nostris: mox vt reuerentia cōdigna erga eos & in gestibus & in verbis vtamur: hinc vt iustis honestisq; illorum legibus, constitutionibus ac edictis pareamus: dein, vt vectigal censumq; illis citra murmuracionem vllam aut tumultum pendamus: postremò, vt oremus pro ipsis: sic nanque Syrachus monet: Caput tuum humilia Magnati. Eccle. 4. & Paulus: Omnis anima (inquit) potestatibus sublimioribus subdita sit. Rom. 13. item Petrus: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum: siue Regi, quasi præcellentis siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. 1. Petr. 2. rursum Paulus, Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Rom. 13. idem iterum: Obsecro igitur primò omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarū actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & om̄ibus qui in sublimitate constituti sunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in om̄i pietate & castitate. Hoc est enim bonum & acceptum cō-

*Honor Magistratus
deus
seruendus.*

1

*De Magistratu
optime
sentendum.*

2

*Magistratus
reuerentia
adsciendus.*

3

*Legibus edic-
tisq; Magis-
tratus pa-
rendum.*

4

*Vectigal lib-
benter pen-
dendum.*

5

*Pro Magis-
tratu oran-
dum.*

cō-

ram saluatore nostro Deo. 1. Ti. 2. Quisquis verò ip-
 sis resistit, hoc est, vel contempserit eos & pia ip-
 sorum placita, vel eis maledixerit, vel tumultus ad
 uersus illos excierit, is ipsis Dei ordinationi (vt
 Paulus inquit) resistit, iudiciūq; adiciet sibi
 ipsi: non ab ipso tantum Magistratu, sed & à Deo,
 vt ex Core Dathanq; ac Abiron exemplo horribi-
 li videre est. Numer. 16. Ceterum debent vicissim
 Magistratus subditis, vt hos pijs æquisque legibus
 gubernent, iustitiam ac iudiciū citra personarū
 acceptationem eis administrent, in pace tranquillita-
 teq; & libertate pristina illos retineant, in reipu-
 blicæ interturbatores ac flagitiosos acriter ani-
 maduertant, pios viduasq; & orphanos defendāt,
 iustam innocentemq; suis vitam præferant, nullis
 denique constitutionibus exactionibusq; iniquis
 quenquam suorum grauent.

Restant iam Patres ac Matres familiās: quare &
 de his non nihil adferendum in medium erit. Quo
 pacto quidem ipsi Patres familiās seu Mariti erga
 Matres familiās seu vxores, & hæ vicissim erga il-
 los se gerere debeāt, aliās explicabimus tempesti-
 uius. At in præsentiarum ostēdemus tantum, quid
 Familia ipsa illis debeat, quidq; illi contrā debe-
 ant huic. Huiusmodi igitur honorem debent Pa-
 tribus & Matribus familiās famuli ac ancillæ, vt di-
 ligant reuerenturq; eos ex animo, vt optent fa-
 ueantq; illis fortunata omnia, vt humiliter ac lu-
 bentes illorum voluntati obsequantur, vt fideles
 sint in demandata sibi prouincia, vtq; & corpora
 & bona & bonā item ipsorū existimationē pro vi-
 rili omni tueantur. Hinc nimirū Paulus inquit: Ser-
 ui obedite Dominis carnalibus, cū timore & tre-
 more, in simplicitate cordis vestrī sicut Christo, nō

*Magistratus
quid debeat
subditis.*

*In seditiosos
acriter ani-
maduertem-
dum.*

*V.
Patres ac ma-
tres familiās*

*Cuiusmodi
honorem deo
beat familia
suis patri-
bus & ma-
tribus fami-
liās.*

ad oculum seruientes, quasi hominibus placen-
tes: sed vt serui Christi, facientes voluntatē Dei ex
animo: cū bona voluntate seruientes sicut Domi-
no, & non hominibus. Eph. 6. Col 3. Hinc idem &
ad Titum scribit: Seruos (inquit) hortare Domi-
nis suis subditos esse, in omnibus placētes, non
contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus
fidem bonam ostendētes. Tit. 2. & Petrus: Serui (ait)
subditi estote in omni timore Domini, non tan-
tū bonis & modestis, sed etiam discolis. 1. Petr. 2.
Verū debent Familix vicissim Dñi ac Dñæ, vt ergā
eam sint tractabiles & benigni, hanc rebus ad vi-
tam sustentandam necessarijs cōmodē prosequan-
tur, in pietate ac disciplina illā sedulō retineā,
iustamq; ei operis mercedem fideliter reddant: nā
ad hunc modum monet Syrachus: Si est tibi seruus
fidelis, sit is tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic
eum tracta. Eccl. 33. & Paulus item: Vos Domini (in-
quit) eadem facite illis, remittentes minas: scien-
tes, quōd & illorum & vester Dominus sit in cœlis,
Eph. 6. atque rursus: Domini, quod iustum est &
æquum, seruis præstare: scientes, quōd & vos Do-
minum habeatis in cœlo. Col 4. quōd & illud Ecclē-
siastici spectat: Seruo (debetur) panis, disciplina,
& opus. Quicquid autem hīc de Familia dicimus,
idem & de Operarijs diurnis quadantenus intelli-
gendum venit: vt nempe & hi laborent fideliter, &
merita ipsis numeretur merces: nam alioqui qui
facit iniuriam, recipiet id quod iniquē gessit. Col:
3. & dira minatur D. Iacobus operarios mercedē
sua defraudantibus. Iac. 5.

*Quid Domi-
ni ac Domi-
næ debeant
familia.*

*Operarijs di-
urnis.*

VI. Cæterū hisce omnibus subiiciemus obiter &
Senes atque Senes Iunioresq; quoslibet: nam & ipsi non ineptē
sub Præcepto hoc quarto comprehenduntur. Hoc
itaq;

itaq; honore Senes dignandi à Iunioribus sunt, vt Senes quo ho-
 ij affurgant illis & capita aperiant, vtq; eos libenore à Iunio-
 ter consulant ac pia ipforum monita consiliaque ribus adfici-
 sequantur: sic enim præcipit Deus ipse Leuit. 19. Co endi.
 ram cano capite affurge, & honora personam se-
 nis: & Syrachus: Presbytero humilia animam tuã.
 Ne despicias narrationem presbyterorum sapien-
 tum, & in prouerbijis eorum conuersare: ab ipsis e-
 nim discis sapientiam & doctrinam intellectus, &
 seruire magnatibus sine querela. Ecclesi. 4. 8. Sic ve-
 rò agere conuersariq; Senes per omnia debent, ne
 iudicentur ab adolescentibus. Ecclesi. 4. 2. sed vt ijs
 & in gestibus & in verbis & in tota adeò conuersa-
 tione pietate omni præluceant: vnde nimirum &
 Paulus ad Titum scribit: Senes (hortare) vt sobrij
 sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione,
 in patientia. Tit. 2.

Senes quid
 deceat.

Nunc, quod reliquum est, vnusquisq; nostrum
 audita altè memoriæ infigat, sui que probè memi-
 nerit hic officij & vrgeat hoc ipsum modis omni-
 bus: quò videlicet & à comminatis pœnis simus
 immunes, & promissam Domini benedictionem
 omnes consequamur.

CONCIO SEXTA IN V.

PRAECEPTVM.

IN Concione proximè habita, fratres sororesq;
 in Christo chariss. Præceptum Decalogi quar-
 tum vobis pro virili nostra enodauimus: ita, vt
 audieritis ad longum, quem nam honorem Paren-
 tibus debeant Liberi, Pastoribus Christianus popu-
 lus, Susceptoribus Initiati, Præceptoribus Discipu-
 li, Magistratibus ciuilibus Subditi, Patribus & Ma-
 tribus familiãs Famuli operarij q;, atque Iuniores

D

Seni-

Senibus: contrà verò, qualesnám esse oporteat Parentes erga Liberos, Pastores erga commissum sibi gregem Dominicum, Susceptores erga Initiatos, Præceptores erga Discipulos, Magistratus erga Subditos, Patres Matresque familiás erga Famulos ac Operarios, Senes denique erga Adolescentes. Quà itaq; de singulis hisce licet satis disseruerimus tum, atque ita Præceptum hoc absoluerimus: agemus porrò & de sex sequentibus Mandatis, quæ nimirum docebunt nos, ecquomodo erga vnumquemque Proximum (nobis contiguum) debeamus esse affecti.

Primum autem horum sex, quodq; in præsentiarum per Christi Spiritum enucleare decreuimus; cõtra Homicidium rectà tendit, ac sic quidem habet: *Non occides.*

Secundum Deum & Parentes, nihil charius priusq; homo habet proprio corpore seu vita. Vnde profectò nec iniuria atrociori affici à nobis Proximus potest, atq; ipso Homicidio: ideoque non mirum, quòd statim à præscripto Dei cultu & Parentum honore flagitium hoc horrendum nobis interdicatur.

*Homicidio
nihil atrocius.*

*Prohibentur
hic non tantum
actus illi
homicidii,
sed et affectus
omnes
ad tendentes*

Sciamus verò, Præcepto hoc non externum duntaxat prohiberi homicidij actum, qui nempe pugnis aut alijs instrumentis noxijs fit: sed & omnes affectus, qui eò tendunt, ignariũq; subministrant, veluti iram, conuitia, odium, inuidiam: nam id abũdè satis confirmat Seruator noster Christus, dum sic inquit: Audistis, quòd dictum sit antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui nascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit,

Fatue,

Fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth. 5. atque hoc & illud diuini Ioannis pertinet: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quod omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. 1. Ioan. 3.

Vult igitur Mandatum hoc quintum, primo ^{Mandati quoniam} quidem, ne ipsi vitam alicui eripiamus, ne simus ^{ti effectus.} auctores homicidij, ne item consentiamus in hominis vllius mortem: dein verò, ne cui malo animo irascamur, ne quem oderimus, ne cui mala imprecemur aut illudamus, ne cum vlllo procaciter rixemur, ne discordias schismataque instituiamus ^{Schismata} inter fratres, ne insidias alicui struamus, ne vllius ^{minime in-} inuideamus felicitati, ne simus implacabiles, ne ^{stituenda.} immisericordes simus, ne deniq; alicuius bonam lapidemus denigremusve famam. At cõtrà eodẽ à nobis exigitur, vt tueamur omnĩ conatu vitã proximi, simus mansueti ac longanimis, omnes amemus, pacifici simus, iniuriã facile obliuiscamur, simus humani & affabiles, simus misericordes, fratres adiuuemus, omnibus demum bene & velimus & faciamus.

Quod autem ad externum homicidium atti- ^{Homicidium} net, duo præsertim absterre ab eo nos debent: ^{externum.} cum videlicet, quod inhumanum beluinũq; profus sit facinus hoc, quodque Deus ac natura ad solam pacem & innocentiam (non aut ad contentiones ac verbera) nos cõdiderint, ideoq; præ cunctis animantibus inermes planè in mundũ hunc produxerunt: tum verò, quod Deus Opt. Max. crudelitatem huiusmodi truculentissimã & vnicè oderit, & grauissimis supplicijs semper punierit, adeoq; & etiamnum puniri velit: nam id vel ex 4. Geneleos cap. euidentissimũ esse potest, vbi ad hunc modũ

primus homicida Cain audiuit à Domino: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus eam fueris, non dabit fructus suos. Vagus & profugus eris super terram. Huc verò & illud Gene. 9. pertinet: Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis. De manu viri, & de manu fratris eius requiram sanguinem hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo. Atque hinc adeò etiam perstringuntur passim in scripturis, quorum pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem, imò quorum manus sanguine plene sunt. Esa. 59. Prouerb. 1. Esa. 1. Psal. 5.

Et si iam haud obscure colliquet ex superioribus, qui nã mandati huius transgressores sunt censendi: in maioris tamen euidentiæ vim, aliquot homicidarum genera paucis subiiciemus. Transgrediuntur itaq; hoc ipsum Præceptum, quicumque; (vt diximus) violenta manu vitam alij eripiunt: de quibus sic Exod. 21. scriptum extat: Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo auelles eum vt mortatur. Sunt autem & ij homicidio obnoxij, qui incantamentis ac veneficijs alios perimunt, veluti malefica: de quibus huiusmodi sententiam promulgauit Dominus. Exod. 22. Leuit. 19. Maleficos non patieris viuere. Peccant item in Mandatũ hoc, qui vel quæ phar macis conceptum nox semen ad nihilum redigunt aut cient alioqui abortum, cuiusmodi scelus Infanticidiũ dicitur. Sunt adhæc homicidæ, qui linguam suam virulenta ac mendacijs in mortis discrimen

*Transgressores
es huiusce
mandati qui.*

I.

*Violenta manu vitam
eripientes.*

II.

Malefica.

III.

*Infanticidiũ
committentes.*

men proximos adducunt, qui item (etiam si ipsum
factum non sequatur) occidendi habent animum, *Lingua viri*
qui deniq; ex composito dissidia tumultusq; exci- *lencia in*
tant, vnde oboriri homicidium possit. Tenentur *mortis discer*
præterea & illi hoc Præcepto, qui semetiplos stu- *men adduc*
diose trucidant, quocunq; id demum modo fiat: *centes.*
exceptis solis his, qui mania laborant seu mente *V.*
sunt capti, sicq; ignoranter sibi intentant necem. *Occidendi æ*
Sunt deniq; homicidij rei, qui proximum quæ ser- *nimum ha*
uare possint, perire sinunt: quales sunt auari præ- *bentes.*
fertim, qui egenos fame frigoreq; interire patiū- *VI.*
tur: cuiusmodi & illi sunt, qui quum præsciant oc- *Dissidia se*
cisum iri aliquem præter meritum aut innocen- *minantes.*
ter, eum tamen non pro parte virili eruunt. Sic ve- *VII.*
rò loquitur præcipitq; hic Scriptura: Erue eos, qui *Semetipso*
ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interi- *studiose trun*
tium, liberare ne cesses. Si dixeris, vires non suppe- *cidantes.*
tunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit: & ser- *VIII.*
uatore[m] animæ tuæ nihil fallit, reddetq; homini *Proximum*
iuxta opera sua. Prouerb. 24. *perire sinen*

Cæterum oritur circa Mandatum præfens qua- *tes, quem cõ*
estio: Nū & Magistratus homicidio obnoxius fiat, *seruare pos*
dū occidit facinorosos ac bella gerit? Ad hanc aut *sint,*
quæstionē respondemus breuiter, vtrunque licere *Magistratū*
Magistratui, neq; hunc ea de causa homicidam ei- *quidem licet*
se censendum: non enim hūc de alio, quam priua- *et facinoro*
to homicidio belloq;, quod nimirū ex mero odio *sos occidere,*
ac priuata vlciscendi libidine dimanat, agitur: *et bellum ge*
at de Magistratu scriptum reliquit Paulus: Non si- *vere, at quom*
ne causa gladiū portat. Dei enim minister est: vin- *modo.*
dex in iram ei, qui malè agit. Rom. 13. Interim ta- *Sub præte*
men videat Magistratus omnis, ne sub publicæ iu- *xta publica*
stitiæ prætextu exerceat priuatam vindictam & ty- *annidē. Licitum quidem illi est, occidere: sed ma-*

*uata vindis
Ela non exer
tenda.*

lefactores fontesque duntaxat, non innocentes ac iustos: idque zelo solo iustitiæ & flagitiorum extirpandorum ergo, non ex ira peruersa aut priuata inuidia. Sic nimirum & bella eidem gerere licet, sed aduersus solos pacis iustitiæque publicæ turbatores, minimè verò in innoxios & immeritos: idque eatenus tantum, vt tyrannis peruicaciaque illorum frangatur, non vt infontes subditos ad extremam pauperiem (quemadmodum hodie pro dolor fit) redigi oporteat. Huc iam hi sacrarum literarum loci commodè referuntur: In fontem & iustum nõ occides, quia auersor impium. Exod. 23. Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis. Iuste iudica proximo tuo. Non stabis contra sanguinem proximi tui: ego Dominus. Non queres ultionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Leuit. 19. Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Psal. 81. Si verò Magistratus nihilominus occidat vel innocentem vel ob priuato affectus alium quempiam, verè homicida est: Si item non necessitate, neque Reipublicæ studio, sed sola nocendi opprimendi que libidine bellum suscipit, tot profectò committit homicidia, quot homines in eo bello vel pereunt vel ad famem adiguntur. Imò & illi, qui vel odio vel spe prædæ currunt ad bellum, non necessitate & in patriæ gratiam, homicidio tenentur obnoxij, vtcunque in ipsum belli ducem culpam omnem reiectam velint.

IX.

*Magistratus
si innocens
rem occidea
rit, iniustū
bellum sus
ceperit.*

X.

*Milites, qui
vel odio, vel
spe prædæ ca
stra sequuntur.*

Porro autem, ne quid omninò scrupuli vsquam in exemptum (vt ita loquar) relinquamus, occurrat alia adhuc quæstio: Num scilicet omnis ira præcepto hoc damnetur? nam audiimus dicentem Dominum,

Quæstio.

minum,

minum, quòd quisquis irascatur fratri suo, ipsi concilio obnoxius sit. Vt igitur dirimamus dubiũ huiusmodi, sciamus bifarium esse irascendi modum: alterum nempe, malum ac illicitum: alterum verò, bonum & licitum. Prior est, quo citra causam vllam iustam, ex solo odio & malo animo cuiuspiam irascimur conuitiamurq;: is nimirũ vnus damnatur à Christo, ideoq; in Græco textu vocula illa (temerè) exerte adiecta est. Posterior autem est, quo iustam ob causam, bonoq; animo & ex mero amore irascimur alicui, nõ vt lædamus illum, sed vt corrigamus: is scilicet adeò non improbat, vt & ab ipso Christo ac Apostolis vsurpatus sit. Mat. 16. Luc. 24. Gal. 3. Act. 8. &c. Non peccat igitur Magistratus, si hoc modo vitijs populi sui irascatur: neq; peccant Concionatores, si eo animo excandescant aliquando, acriusq; in hominum scelera ac abusus inuehantur: neq; peccant deniq; Parentes & ludimoderatores, si hæcenus liberis discipulisq; succenseant, eosq; tum verbis duriusculis, tum plagis acrioribus castigent.

Summa igitur totius huius Præcepti esto, vt neque manibus alijsq; instrumentis proximo noceamus, neq; verbis ex odio profectis conuitiemur aut incommodemus, neq; animo ipso male velimus: sed tueamur potius omnes iniurias illatas, & patienter feramus & libenter condonemus, affabiles simus erga omnes, misericordia ac charitate utamur: breuiter, omnibus æquè tã hostibus quàm amicis & bene velimus & beneficiamus: nam hæc Lex & Prophetæ.

CONCIO SEPTIMA IN VI.

PRAECEPTVM.

D 4

Audi

*Bifarius irascendi modus.**Malus ac illicitus.**Bonus atque licitus.**Summa quinti præcepti.*

Avdistis in Concione nupera, fratres sores-
que in Domino dilectissimi, Præcepti quinti
explicationem: inq; hac accepistis non dilucidè mi-
nus quàm breuiter, cum quàm atrox nimis ac be-
luina iniuria Homicidiū sit, tum quot modis hoc
ipsum committatur, tandem quanto profus sup-
plicio idem & punierit & puniri etiamnum velit
Dominus. Nunc autem ad sextum porrò Manda-
tum accingemur, vt nimirum & huius genuinum
integrumq; assequamur sensum. Vos interim audi-
tores optimi similes vestri esse pergite, hoc est, eū
laborem, qui in vestræ salutis gratiam susceptus à
nobis vnicè est, & animaduertendo & retinendo
salutarem vobis facitote.

Sic ergo habet Præceptum Decalogi sextum. Nō
māchaberis, seu, Non adulterium committes.

*Post homici-
dium thori
violatio a-
trocius est fa-
cinus.*

Post ipsum Homicidium, non potest iniuria in-
ferri homini atrocior, atque si quis eius violet cō-
maculetque thorum, nihil enim viro coniuncti-
us, nihil charius vxore legitima: quemadmodum
nec vxori vicissim quicquam legitimo viro con-
iunctius adamātiusve est: nam haud duo amplius
sunt, sed vna caro. Matth. 19. Ephe. 5. Hinc nempe
sic Salomon in alterius thori violatorē erumpit:
Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet ani-
mam suam, Turpitudinem & ignominiam congre-
gat sibi, & opprobriū illius non delebitur: quia
zelus & furor viri non parcat in die vindictæ, nec
acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro
redemptione dona plurima. Prouerb. 6. Tam in-
tolerabilis inquam contumelia viro est, constu-
prata per adulterium vxor. Optimè itaque de no-
bis meritus est profectò Deus Optim. Maxi. quòd
non contentus munijse vitam ac corpora nostra,
vni-

Vniuscuiusque etiam adhuc thori consortem ab omni opprobrio constuprationeque alterius immunem esse voluerit.

Vt verò ille homicidis, quò reprimat videlicet nefarium occidendi ausum, supplicia grauissima & intulit & comminatus est: ita & Adulteris dira horrendaque idem passim minatur, vt vel poena grauitas auocet à tam turpi impioque flagitio, quos non dehortari potest fraterna charitas. Comminatur ergo illis primò mortem temporalem: iuxta illud Leuitic. 20. Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetraverit cum coniuge proximi sui, morte moriatur & mœchus & adultera. Dein verò quod infinitis modis horribilius est, ipsam quoque mortem æternam seu condemnationem iisdem minatur: iuxta illud apud Malachiam. 3. Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris, &c. & illud Pauli Heb. 13. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus, item. 1. Cor. 6. Neque fornicarij, neque idolis seruietes, neque adulteri, neq; molles, &c. regnum Dei possidebunt. Quò magis autem tam exosos habeat adulteros Dominus, tantisq; omninò supplicijs illos adiudicet, tria potissimū sunt in causa: primò quidem, quòd ij mœchando in proximum malitiose peccent, sicque ius violent charitatis: secundò autem, quòd in propria etiam peccent corpora seseque propudiose contaminent: postremò verò ac cum primis, quòd à Deo coniunctos ipsi separent, atque ita impiè Dei prophetas destruantque institutum. Vt silentio interim prætereamus hic, quòd vel hoc nomine iniquum ac abominabile adulterium sit, quòd alijs tradant adulteri corpora sua, quorum tamen non ipsi,

*Adultero
quàm horrenda
Deus
minitur.*

*Triplici de
causa Deus
adulteros sic
exosos habet*

I.

II.

III.

fed coniuges duntaxat potestate habent. 1. Cor. 7.

Cæterum obseruandum nobis erit, non ipsum modò (de quo diximus hætenus) Adulterium, sed & omnem fornicationem seu congressum nefarium hoc præcepto vetari damnariq;: veluti, Incestum, hoc est, actum venereu cum sanguine aut affinitate iunctis, item cum personis Deo solenni castitatis voto dicatis, alijsq; id genus iure diuino aut ecclesiastico prohibitis: adhæc abominandissimum illum coitum, qui fit contra vsu naturalem, cum incubonibus, cumq; brutis animâibus, cuiusmodi immunditiam ne nominari quidè inter nos Paulus vult: præterea, fornicationem etiam simplicem, quæ nimirum cum solutis comittitur, siue scortis, siue puellis honestioribus: quin & effrenem immodicamq; libidinem in ipso Coniugio legitimo, citra vel animum vel spem excitandæ prolis susceptam.

Damnatur hoc præcepto omnis etiam fornicatio, seu congressus nefarius. Porro aut, vt probè vim præcepti huius teneamus, sciamus insuper, nõ externum duntaxat obsecnæ huiusmodi veneris actum interdici hîc, sed & libidinosos simul affectus, hoc est, concupiscentiam ipsam: nã ad hunc modû Seruator noster Christus in Euangelio inquit, Matth. 5. Audistis, quia dictû est antiquis: Non mœchaberis. Ego aut dico vobis, quòd omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est cum ea in corde suo. Imò verò nõ ipsa tantum concupiscentia eodem hoc præcepto prohibetur, sed & quicquid ad excitandam libidinem facit: vt est aspectus salacior, crapula, ebrietas, otium illiberale, obscœnitas seu turpiloquiû, indissolutior deniq; cultus, quibus præterea addamus licet impudicas cantiones, gestus indecoros, obscœnasq; imagines.

Interdicitur item hîc nobis non tantum actus ille veneris, sed et ipsa etiam concupiscentia.

Prohibentur etiam omnia libidinem excitantia.

Rom. 1.

Eph. 5.

1. The. 4.

Tob. 3.

Requi-

Requirat igitur Praeceptum hoc, ut si quidem in Matrimonio simus, & domi & foris castum impolutumque nostrum tueamur thalamum: sin vero in nupti, aut simus continentes, aut (nisi continentiam voverimus) coniugio initiemur. Adhuc, ut omni vigilantia seruemus corda nostra. Prou. 4. oculos nostros inclinemus, auertamusque ab omni aliena specie. Iob. 22. Prou. 4. Cant. 6. Eccl. 9. fugiamus crapulam ebrietatemque; & otium, sobrii que; contra si mus ac laboremus. Luc. 21. Iere. 5. Ezech. 16. Eccl. 33. 2. Theff. 3. 1. Pet. 3. auersemur obscenitatem omnem ac colloquia praua, sitque; sermo noster sale conditus ac perpetua gratiarum actio. 1. Cor. 15. Ephe. 5. Col. 3. 4. oderimus denique; gestus procaces ac cultum comptiorem, & omnes breuiter illecebras. Eccl. 9. Gene. 58.

Tametsi iam aut nihil aut paululum certe (nostro quidem iudicio) intactum reliquerimus, quod ad Praecepti huius tum explicationem tum executionem facere possit: tamen ut maior adhuc vitandae luridae libidinis nobis addatur stimulus, non pigebit exempla aliquot Sacrae scripturae horrenda iam coronidis vice subijcere. Primum ergo exemplum quod occurrit nobis, Gene. 6. habemus, ubi sic Scriptura inquit: Cum coepissent homines multiplicari super terram & filias procreassent, videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Dixitque; Deus: non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est, &c. sic sequunturque est tandem, cum propter scelera alia, tum propter venerem impiam, diluuium vniuersale. Genes. 7. Post excidium autem Sodomitarum ac Gomorrhæorum, qui & ipsi

I.
Aspectus immo continentior.
II.
Crapula.
III.
Orium illius berale.
III.
Obscenitas.
V.

Indissolutio or cultus.

Horrenda sacra scripturae exempla, quibus Deus luridam libidinem puniuit.

Diluuium.

(pra-

- Excidium So-* (præter mala alia) libidini, eazque pessimæ omni-
domitarum um, vacabant, primus in ordine est Abimelech Ge-
et Gomor- rare Rex. Gen. 20. de quo videlicet legimus, quod
rharorum. quum Saram Abrahæ vxorem tulisset, etsi ignora-
Abimelech, bat eam illius esse coniugem, adeo Deum Opt.
 Max. offendit, vt & omnes domus ipsius mulieres
 steriles redderetur, & ipsi minitaretur adhæc mor-
 tem præsentaneam Dominus: inimo idem & antè
 (quod transfiliuimus forte fortuna) Pharaoni Re-
 gi Aegyptiorum accidit. Gen. 12. qui nimirum vnà
 cum tota domo sua plagis maximis propter subla-
 tam Saram à Domino flagellatus est. Dein verò de
 alio Abimeleche habemus Gen. 26. qui, quum vi-
 didisset Isaacum Abrahæ filium cum vxore Rebecca
 (quam sororem eius esse putarat) iocantem, omni
 populo suo præcipit, dicens: Qui tetigerit hominis
 huius vxorem, morte morietur. Hinc Gen. 34. legi-
 mus propter stuprum Diui Iacobi Patriarchæ fi-
 liæ illatum, non ipsum modò patratores Sichem
 ac patrem Emor, sed & vniuersam Sichimorum ci-
 uitatem in ore gladij perijisse, mulieribus dunta-
 xat paruulisque exceptis. Post hæc Gen. 49. extat,
 quòd, quum Ruben (vt est Gen. 35.) se Patris sui mi-
 scuisset pellici, Iacob moriens sic ad illum inter
 cætera loquutus sit: Non crescas, quia adscendisti
 cubile Patris tui, & maculasti stratum eius. Cæte-
 rum deinceps Num. 25. de Israelitis proditum est,
 quòd populus fornicatus sit cum Moabitarum fi-
 liabus, occubuerintque propter nefas huiusmodi
 viginti quatuor millia hominum: quodq; quum
 vnus Israelitarum coram fratribus suis ad meretri-
 cem Medianitidem omni pudore absterfo intraf-
 set, Phinees arrepto pugione ingressus sit in lupa-
 nar, perfoderitque ambos circa genitalia. Testatur
 insu-

insuper Iudicum liber cap. 19. & 20. ob vnicum suum ^{Stuprū vxorū} primum uxori Leuitæ cuiusdam illatum, infinita ^{vi Leuitæ ilo} baonitarum seu Beniamitarum millia ab Israeli- ^{latum.} latum. tis prostrata esse, immò & cunctas illorum vrbes viculosque incendio perijisse voraci. Postremò verò de Salomone etiam (regè alioqui sapientissimo) sacræ literæ tradunt, quòd confectus senio ^{Rex Salomō} vsque ad eò libidine amorèque meretricum idololatrarum excæcatus sit, vt reliquerit Deum illum viuentem ac vnicum, deosque coluerit alienos. Vnde iratus vehementer Dominus, & regnum eius se disrupturum alienaturumque minatus est, & multos præterea aduersus illum hostes exciuit. 3. Regum 11.

Hæc inquam, & si qua sunt id genus alia Sacræ scripturæ paradigmata, eò nobis seruiant, vt & oderimus & fugiamus canē peius ac angue, tum ipsum adulterium, tum scortationem, tum denique ^{Libido multorum malorum fomes.} quancunque libidinis speciem, quippe quæ tot tantorumque malorum & fuerint semper & etiam nun sunt auctores, fomites, irritamenta. Semper igitur personet in auribus nostris grauisissimum illud Diui Pauli præceptum: Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. 1. Corinth. 6. Et illud item: Fornicatio & omnis immunditia aut avaritia ne nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent: sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intel-

intelligentes, quòd omnis fornicator aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Ephe. 5. Quin & illud: Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisq; vestrùm vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum. 1. Theff. 4.

In matrimonio constituti casti viuunt: lumbi pti continentur sint.

In summa: Qui in Matrimonio agunt, contenti sint compari, fidem mutuam arctè seruent, castè viuant, foueantq; inter sese amorem ac concordiam. Qui verò nullis tenentur Connubij legibus, ij curent omnibus modis, vt casti sint & corpore & spiritu, nec membra Christi faciant scorti membra, ne scilicet Spiritus sancti templum viuum esse desinant. 1. Corinth. 6.

CONCIO OCTAVA IN VII.

MANDATVM.

IN duobus proximè explicatis Decalogi Præceptis, Auditores optimi, summatim Dei nostri deprehendistis de nobis curam ac erga nos charitatem: quippe qui, primò quidem vitam ipsam & corpora nostra aduersus malorum violentiam communierit, dein verò & suam vnicuiq; coniugem esse velit, manereque illam ac ab omni ignominia contumeliæ aliorum immunem. Atqui eandem illam de nobis curam verè paternam & nunc rursum luculenter videbimus: non minori enim ille studio in Mandato septimo (quod nimirum in præsentiarum sumus per Christi gratiam declaraturi) bonis nostris temporalibus consulit, atq; illic consulit vitæ nostræ & coniugi. Est quidem longè præstantioris pretij vita ac coniunx, quantùm
opea

opes vllæ externæ esse queant: multò tamen minus & temporalium bonorum magna est hoc in mundo necessitas, vt citra quæ nec ipsa vita, neq; vxor, neq; liberi, neque familia deniq; possint sustentari aut subsistere.

Audiamus itaq; iam, ecquo propugnaculo munerit bona nostra Dominus. Sic nimirum inquit: *Non furtum facies.*

Haud improbat Dño rerû seu bonorum proprietatem, hoc est, vt propria quisq; bona & habeat & possideat: tãtùm, vt ijs rectè vtatur, hoc est, cõmuniceat ea egentibus, vbi opportunitas necessitasq; id postularit. Prohibet igitur ille furtũ, hoc est, rei alienæ cõtrectationẽ illicitam, quò sic vnicui libet saluæ tutæq; maneant suæ facultates, vt retineat vnde possit cõmodè & propriæ puidere domui, & impertiri necessitatẽ seu inopiã patietibus.

Est autem obseruandum cum primis, generale admodum esse furti nomen, sceleraq; plurima eo contineri: nam non solum furtum est, etsi vulgò sola furti nomenclatura censetur, irruere clanculum vel noctu vel interdium in alienas ædes, effratisque scrinijs aut alijs adhibitis modis auferre proximi bona: verum est & hoc furtum, aperta vi res alterius inuadere rapereq; vti faciunt prædones, piratæ, milites, ac (qui interim pessimi sunt omnium) latrones: imò furtum quoque est exercere vsuram, iniquitatem excercere mensura vlna- que & pondere, malis contractibus ac fraudè cum aliquo agere, imposturas exercere in mercibus, aut alioqui vendere has æquo carius, mercenariũ mercede fraudare debita iustaq; acceptæ mercedi non respondere in iniunctis laboribus, depositum retinere fraudulenter, mutuum commodatũ inye

*Ve Deus in-
pium vsuræ
vult bona
nos posside-
re, sic alienæ
rei illicitam
contrectatio-
nem prohibe-
bet.*

*Furti nomen
generale, &
quæ scelera
hoc compre-
hendantur.
Clancularis
irruptio.
Aperta vis.*

*Vsuræ.
Iniquitas in
mensura, vlna
na & pondere,
et c.*

Decimarum subtraclio. tumúe nolle reddere, census decimasque vel subtrahere Magistratui; ac alijs vel pondere malignè, nimio item intolerabilique censu exhaurire subditos: est denique & illud furtum, officium miseræ cordiæ denegare pauperibus, bonis suis omninò nolle uti, facultates item suas aut tueri ignauiter aut luxu prodigere, mendicare denique citra vrgentem necessitatem. In summa: Quicquid alijs fraudi damnoque est, vtut dicatur, quocunque etiam fiat modo, id omne merum & est & censerì debet furtum.

Furtum id omne dicitur, quod alijs fraudi est.

Facilimè igitur colligere hinc est, quosnam Præceptum hoc de non furando liget reosque arguat, quidque eo prohibeatur. Et si autem non patitur temporis angustia, vt singula (quæ ad furtum iam iam retulimus) sigillatim & declaremus & scripturarum testimonijs confirmemus: pleraque tamen, in quibus scilicet omnium maximè vulgus mortalium hodie peccat, repetere explicareque cogit necessitas.

Raptores violenti.

Vt itaque raptores violentos (quos nimirum verè fures esse constat, qui que non possidebunt regnum Dei. 1. Corinth. 6.) silentio prætereamus, de

Fœneratores

Fœneratoribus dicemus primò omnium: Nolunt quidem hi furum adnumerari albo, immo verò laudari volunt ob insignem illam suam erga penuria laborantes misericordiam: verum, quia duplo aut quadruplo plus recipiunt exiguntque quam exposuerint, agunt inique, proximi sudorem sanguinemque exugunt, suntque proin (velint, nolint) germani fures. Sed audiamus, quid scriptura

Fœneratores sunt germani fures.

De scenore quid sacra scriptura.

sacra ijs præcipiat, quidúe sentiat de scenore. Sic Dominus Exod. 22. inquit. Si pecuniam mutuo deris populo meo pauperi, qui habitat tecum, nõ

vrgẽ

vrgebis eum quasi exactor, nec usura opprimes.
 Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum,
 ante solis occasum redde ei. Ipsum enim est solum
 quo operitur indumentum carnis eius, nec habet
 aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exau-
 diam eum: quia misericors sum. Et Leuit. 25. Time
 Deum tuum, vt viuere possit frater tuus apud te.
 Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum
 superabundantiam non exiges. Et Ezech. 18. iustum
 beatumque vocat Dominus eum, qui ad usuram
 non commodauerit, & amplius non acceperit: con-
 trà verò his verbis sceleratorem apud eundem al-
 loquitur: Usuram & superabundantiam accepisti,
 & auarè proximos tuos calumniabaris, meique o-
 blitus es, ait Dominus Deus: Ecce complosi manus
 meas super auaritiam tuam, quam fecisti, cap. 22.
 Item Deuter. 23. Non scelerabis fratri tuo ad usu-
 ram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam
 rem. Et rursus ibidem: Fratri tuo absque usura
 id quo indiget commodabis, vt benedicat tibi Do-
 minus Deus tuus, &c. Quin huc & dictum illud Sal-
 uatoris nostri vnicè spectat: Benefacite & mutuam
 date nihil inde sperantes: & erit merces vestra mul-
 ta: & eritis filij altissimi. Luc. 6. Cæterum ne quis
 obijciat hic, permissum esse Iudæis, vt ab alienis
 sceleris acciperent. Deuter. 23. respondemus pau-
 cis, permissum hoc illis fuisse ob cordis sui duriti-
 am, vt & diuortium. Matth. 19. at nobis neque in
 alienos neque in vllum hominem usura permissa
 est: ne dicam interim, nullum profus alienum
 nobis esse, sed omnes perinde homines & proxi-
 mos & fratres esse nostros. Si quis verò nostrum
 nolit omninò mutuo aut commodato dare alte-
 ri, eò quòd nullum exercere sibi liceat sceleris: is

*Iudæis quia
 dem permissa
 sum fuisse
 sceleris, at nos
 bis minimè.*

certò sibi persuadeat, nec se filium esse altissimi, neque habitaturum vnquam in cœlesti Domini tabernaculo. P sal. 14.

*in mensura
& pondere
iniquitatem
exercentes.*

Iam verò & de ijs agemus paucis, qui in mensura vlna q; ac pondere iniquitatem exercent. Vt cum que fœneratores iniqui furesq; videri nolint, Mercatores certè & Infitiores (ij in quâ, qui emptorem portione sua iusta defraudant) apertissimum committunt furtum, id quod nemo æqui amans vnquam negabit. Sic autem hos scriptura monet, Deut. 25. Non habebis in sacco diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor. Ponderus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: & multo viuas tempore, &c. Abominatur enim Dominus eũ qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam. Sed & ad hunc modum Dominus apud Amos prophetam in iniustos huiusmodi inuehitur. cap. 8. Audi te hoc (inquiens) qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit mensis, & vñundabimus merces: & Sabbathum, & aperiemus frumentum: vt imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus statêras dolosas, vt possideamus in argento egenos, & pauperes pro calciamêris, & quisquilias frumenti vendamus. &c. Nunquid super isto nõ commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius: & ascendet quasi fluius vniuersus, & eiicietur, & defluet quasi riuus Aegypti? Et erit in die illa, dicit Dominus: Occidet sol in meridie, & tenebre scere faciam terrã in die luminis: & conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in plãctum: & inducã super omne dorsum vestrũ sacco, & super omne caput caluitiũ: & ponam eã quasi lu
ctum

Quā vnigeniti, & nouissima eius quasi diē amarū,
&c. Et Mich. 6. Vox Dñi ad ciuitatē clamat, & salus
erit timentibus nomen tuū: audite tribus, & quis
approbabit illud? Adhuc ignis in domo impij the
sauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. Nū
quid iustificabo stateram impiā, & sacculi pōdera
dolosa: in quibus diuites repleti sunt iniquitate, &
habitantes in ea loquebantur mendaciū, & lingua
eorum fraudulenta in ore ipsoꝝ. Et ego ergo cœ-
pi percutere te perditione super peccatis tuis. Tu
comedes, & non saturaberis: & humiliatio tua, in
medio tui. Et apprehendes, & non saluabis, & quos
saluaueris, in gladium dabo. Tu seminabis, & nō
metes: tu calcabis oliuam, & non yngēris oleo: &
mustum, & non bibes vinū. Vnde & Salomon Pro-
uerb. 20. inquit: Abominatio est apud Deum pon-
dus & pondus: statera dolosa, non est bona.

Cæterum vt ad eos etiam veniamus, qui malis
contractibus, mercibus vitiatas, aut cariore quā
sit, rerum inscriptione, proximis imponunt, ideo-
que & ipsi furto tenentur: sic sacræ literæ præcipi-
unt. Leuit. 25. Quando vendes quippiam ciui tuo,
vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum. Item
1. Thess. 4. Ne quis supergrediatur, neq; circumue-
niat in negotio fratrem suum: quoniam vindex
est Dominus de omnibus his, sicut prædiximus vo-
bis & testificati sumus.

Porrò autem contra mercedis iustæ detentio-
nē, ita Diuus Iacobus intonat: Ecce merces opera-
riorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ frau-
data est à vobis, clamat: & clamore eorum, in au-
res Domini Sabbatho introiuit. Iacob. 5. Ideo que
mandatum huiusmodi reliquit Dominus Deute-
ronom. 24. Non negabis mercedem indigentis &

*Malis contra
clibus, vitia-
tis mercibus
atque carior
interpretio pro-
ximis impon-
nentes.*

*Iusta merces
dis detentio-
furti est spes
cies.*

pauperis, fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur in terra & intra portas tuas est: sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. Atque hinc & Tobias piè filium instituit: Quicumque, inquit, tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue: & merces mercenarij tui apud te omninò nò remaneat. Tob. 4. Verùm videant interim operarij, vt exactæ promissæue mercedi respondeant fideliter: nam aliqui, si parum frigideque laborarint, ac nihilo minus integram nimiramque mercedem vserint, erunt & ipsi furto obnoxij. Quemadmodum verò detentio mercedis, furti species est, Deoque improbat: ita nimirum videre quiuis facile potest, esse & illos furti reos, qui depositum commodatumue ac mutuum restituere recusant, qui item censum decimasque vel supprimunt vel male certè fide persoluunt. Reddite (ait Paulus) omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Rom. 13. Sed qui ex publicis presertim censibus ac decimis viuunt, vt sunt Ecclesiæ Ministri & ciuiles Magistratus, non minus in septimum hoc præceptum peccant, si vel male suo respondeant muneri, vel intolerabilibus citra vrgentem necessitatem subiectum sibi populū exactiõibus grauent: id quod addere placuit, quod neutrum hodie peccatum vel minutulum (nedum furtum) censeatur, quum in Dei tamen iudicio verè & furtum & peccatum grauissimum vtrunq; sit: nam scriptum est Hier. 48. Maledictus, qui facit opus Dei fraudulèter, & Sap. 6. Potentes potèter tormèta patientur. Quod verò & auari, desides item ac prodigi, quique ci-

*Operarij negligentiores
furtum committunt.*

*Furtum committunt
hi, qui depositum non
restituunt,
damnaq; nõ persoluunt.*

que citra necessitatem vllam mendicant, verè fu- *Fures & hi*
 res sint, non laboriosa indiget probatione: dum e- *cenfendi,*
 nim Māmonistæ illi vnicè thesauro suo & augen- *Auari, Desti-*
 do & integrè conseruando student, cū sibi ipsis *des, Prodigii,*
 ac suæ familiæ vitæ suffurantur necessaria, tum in- *Mendici cio-*
 iunctam sibi diuinitus sustentationem pauperibus *tra necessitatē*
 violenter subtrahunt: dum item desides prodigiq; *tem.*
 & bona sua perdunt & accersunt sibi vltro egesta-
 tem, suffurantur vtique & ipsi sibimet, vnde tum
 sese ac suos, tum inopes famelicosq; sustentare &
 debebant & commodè poterant: dum deniq; ipsi
 etiam mendici hæreditarij absq; necessitate vlla
 (ex sola nimirum auaritia ac laborandi ignauiā)
 mendicant passim, hoc saltem nomine fures verè
 sunt, quòd medicitate illa sua impudēti veris pau-
 perib⁹ eleemosynas iniustè præripiat suffurēturq;.

Si itaq; (vt finiamus concionē nostram tandem)
 satisfacere per omnia præcepto huic de non furan-
 do velimus, ab omni nos quàm alienissimos esse *Quibus vra*
 oportebit rapina, vsura, iniustitia, fraude, auaritia *tionibus fura-*
 seu tenacitate, inertia, prodigalitate, & oppressio- *ti nomen à*
 ne proximi: contrà verò nostrarū erit partium, vt *nobis pellens*
 proximi bona tueamur cumulemusq;, mutuo cō- *dum.*
 modatoq; citra vllam quæstus priuati spem liben-
 ter demus, æquitatē ac simplicitatē in negotijs re-
 busq; omnibus exerceamus, tribuamus vnicuique
 quod sibi debetur ex merito, manib⁹ operemur &
 paremus honestè vnde viuamus, bonis nostris fru-
 galiter vtamur, eleemosynas denique & de nostra
 substātia & hilari animo impertiamur pauperib⁹.

Semper videlicet dictum illud Domini altè ani-
 mis nostris infideat. Matth. 7. Quæcunq; vultis vt
 faciant vobis homines, eadem & vos facite illis. Et
 Paulinum illud. 1. Corin. 6. Neq; fures, neq; auari,

neq; rapaces regnum Dei possidebunt. Item Ephe. 4. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Breuiter, illud quoque apud Matth. 5. Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertaris.

CONCIO NONA IN VIII.

PRAECEPTVM.

IN tribus proximè habitis Concionibus, fratres sororesq; in Christo amantiſſ. de tribus audisti bonis, quæ vnusquisq; nostrum salua illaſaq; sibi manere cupit, quæq; proin & Deus Opti. Maxi. Præceptis peculiaribus munire aduersus malorū impetus prauos dignatus est. Ea nimirum bona fuere, vita propria, Coniunx & opes: nam vt vita cuiq; sua salua maneat, prohibuit ille homicidiū: vt item sua vnicuiq; illaſa impollutaque maneat coniunx, Adulterium & fornicationem omnē vetuit: vt denique ipsæ etiam opes maneant integræ omnibus, furto interdixit ac iniustitia omnigena. Cæterum præter tria hæc, aliud adhuc in promptu est, non minus certè atque illa charum homini: honesta scilicet fama, seu bona cuiusque existimatio: hanc enim si quis vel semel amiserit, postea (vt inquit ille) nullus erit, neq; recuperare vnquam quiverit eam iacturam, vt proinde ipsam potius mortem in votis habere quàm vitam diurniorem possit, etiamsi salua sunt alia omnia. Vt igitur & is (tam videlicet vndiquaque excellens exoptatusque) thesaurus maneat nobis per omnia integer, appositissimè profectò Mandatum octauum (quod nimirum nunc exaudandum sum-

psi-

Honestas fas

III.

psimus) Dominus subiunxit, inq; eo quoduis falsum testimonium prohibet.

Sic verò habet illud: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

Hoc inquam Præcepto munit Deus vniuscuiusque hominis bonam famam: ac prohibet exercere noxam omnem, qua per linguam afficitur Proximus: nam & lingua lædit: idque non tolerabilius sanè, quàm vel homicida vel mæchus vel fur: immò qui falso testimonio seu mendacio aduersus aliquem vititur, verè & homicida & adulter & fur est: Homicida quidem, quòd venenata sua lingua ceu gladio acuto innocentem opprimat: Adulter autem, quòd auream veritatem adulteret corrumpatque impudentibus suis mendacijs: Fur verò, quòd falso testimonio prolato proximi & famam & facultates suffuretur.

Sciãmus autem, per falsum testimonium intelligi cum primis periurium omne: verum non solum periurium, sed & quoduis mendacium, hypocrisin, adulationem, obtrectationem, dolosa consilia, corruptam doctrinam, & id genus alia.

Quod ad periurium quidem spectat, & quatenus hoc ipsum per falsum testimonium intelligitur, eãtenus Præcepto hoc munit Iudicia publica Dñs. Oportet certè (vt nunc sunt mores hominũ) aliquando nos his vtì, si alioqui corpora, res ac famam tueri velimus. Honorantur verò ea nõ vlla re magis, atq; veritate simplici. Quãdotũq; igitur nobis in foro iudiciali agendũ omninò est, siue pro nobis ipsis, siue in aliorum gratiam, ab omni falso testimonio seu mendacio abstinere, nudamque ac simplicem contrã veritatem profiteri candidè debemus, iuxta illud *Leuit. 19. Non mentiemini, nec*

Quæ per falsum testimonium subintelligantur.

I.

Periurium.

decipiet vnusquisque proximum suum. Non perirabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio: & illud item Exo. 23. Non suscipies vocem mendacij: nec iunges manum tuam, vt

II. pro impio dicas falsum testimonium. Mendacium

Mendacium. fugies. Impingunt autem hinc omnes, qui in iudicio iniquam fouent studiose causam, siue sint *Actores, Rei, Aduocati, Testes.* Actores, siue Rei, siue Aduocati, siue Testes: quibus nempe huiusmodi pœnam comminantur sacræ literæ. Prouerb. 6. Linguam mendacem, proferentem mendacia, testem fallacem odit Dominus. Prouerb. 19. Testis falsus nō erit impunitus: & qui mendacia loquitur, non effugiet. Psalm. 5. Perdes omneis, qui loquuntur mendacium.

Non solum verò non dicendum est falsum testimonium seu mendacium in iudicio, sed nec extra illud, nullo prorsus vel loco vel tempore. Deus ipse veritas est. Ioan. 15. sunt & omnia mandata eius, veritas. Psal. 118. ac in primis quidem, veritatem ille diligit. Psalm. 50. contra verò, vt paulò antè accepistis, vnicè odit mendacium omne. Si ergo tanti Patris filij verè germani & videri & esse velimus, diligamus & nos veritatem, mendacium quæ contra cane peius ac angue oderimus. Atque huc ipse quoque Paulus disertis grauibusq; nos verbis horatur Ephes. 4. sic nimirum inquiens inter alia: Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra.

Ceterum consideremus iam paulò pressius, qui nam mendacio verè obnoxij sint. Huic profectò maximè sunt obnoxij, quos & suprâ obiter indicauimus,

uimus, Hypocritæ, adulatores, obrectatores, do-
loforum consiliorum auctores, sanæ doctrinæ de-
prauatores, ac stultis obscœnisque & vanis collo-
quijs adsueta,

Hypocritæ, qui nimirum mentiuntur seu falso
præ se ferunt sanctitatem ac animum sincerum,
quum tamen intus impietate doloque omni scate-
ant, pessimè audiunt in scripturis. Sic enim Iob ait
inter infinita alia de huiusmodi hominum gene-
re: Non veniet in conspectum eius (Dei) omnis hy-
pocrita. cap. 13. Et Dominus ipse Esa. 29. hos illis
verbis perstringit: Appropinquat populus iste ore
suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius lon-
gè est à me. Item Iere. 9. Sagitta vulnerans lingua
eorum, dolum locuta est. In ore suo pacem cum a-
mico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Nū-
quid super his non visitabo, dicit Dominus? aut
in gente huiuscemodi non ulciscetur anima mea?
Quò & illud Ecclesiastici collimat: Væ duplici cor-
de, & labijs scelestis. Si quis autem plures commi-
nationes audire gestiat, is legat vel 23. cap. Mat-
thæi. Si sapimus igitur, nihil nobis cum impietate
hypocritica sit commercij, nolimus inquam vide-
ri pij, nec sub amicitia prætextu virus plus quam
hostile euomamus: sed quales apparemus externè
& in verbis & in factis, tales simus re vera & inter-
nè siue animo, nempe verè pij, sinceri, candidi,
simplices.

Iam verò quod ad Adulatores spectat, audiunt
& ipsi profectò pessimè: idque non in sacris dunta-
taxat literis, sed & in Ethnicis. Hos nimirum notat,
imò damnat Dominus Esa. 5. vbi sic inter cætera
inquit: Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum
malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tene-

III.

*Hypocritæ.**Ecclesi. 2.**Cap. 1.**Quales ap-
paremus exo-**terne, tales**simus inter-
na.**na.*

III.

Adulatio.

bras: ponentes amarū in dulce, & dulce in amarū, Et Esa. 3. Popule meus, qui te beatū dicūt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorū dissipant. Cauendum itaq; nos nobis ab adulatione omni, hoc est, neq; ipsi palpi alij obrudamus, neq; audiamus loquentes nobis placentia. Esa. 30. Nam longē fatuus est à sapiente corripī, quā stultorū decipi adulatione. Eccl. 7. qui em corripit hominē, gratiā postea inueniet apud eum: multo certē magis, atq; ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Prou. 28. Quare & nos cū Dauide dicamus: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autē peccatoris non impinguet caput meum. Psal. 140.

V.
Obtreclatio

Ceterū vt ad obtreclatores etiam porrò veniamus, neq; hi sanè melius (ne dicam, peius) quā illi audiunt. Sic autem de huiusmodi flagitiosorum farina scriptura loquitur. Psal. 101. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Et Prou. 24. Cum detrectatoribus ne commiscearis. Quoniam repente consurget perditio eorum. &c. Item Sap. 1. A detractione parcite linguæ: quoniam sermo obscurus in vanum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam. Et paulò antè: Beningus enim est spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum à labijs suis. Vnde & Paulus 1. Corint. 6. Neque maledici regnum Dei possidebunt. Et Iacobus cap. 4. Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit Legi & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex. Vnus est enim legislator & iudex, qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximū tuū? Ne simus ergo nos susurrone, bilingues, aut obtreclatores: sed dubia in bonam semper rapiamus par-

partem, ipsa autem aliorum vitia aut tegamus aut mitigemus certè: cogitantes scilicet, dictum esse nobis omnibus Matth. 6. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Rom. 11. Tu aut fide stas, noli altum sapere, sed time. Rom. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. 1. Corint. 10. Qui se existimat stare, videat ne cadat.

Porrò autem quod attinet ad consultores doctos, qui scilicet impijs noxijsq; suis consilijs tumultus ac bella saepenumero grauisima truculentissimaq; cient, palsim sanè & ij acriter in scripturis perstringuntur, horrendaq; aliquot ipsorum describuntur pœnæ. Nā Pharao, vbi cum suis fraudulenter de obruendis filijs Israel consultasset, & sese & omneis pariter perdidit in mari rubro. Exo. 14. Achitophel item, pro impedito consilio suo iniquo aduersus Dauidem dominum suū, ipsemet laqueo se suspendit. 2. Reg. 17. Sic & Aman Assueri regis consiliarius princeps, ob truculentum suum in Mardocheum consilium conatumq; in eodem patibulo suspensus est, quod illi parauerat. Esther. 7. Vnde nimirum verè dicit Syrachus: Qui in altū mittit lapidem, super caput eius cadet: & plaga dolosa, dolosi diuidet vulnera. Et qui foueam fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet vnde adueniat illi. Ecclesi. 27. Ne versemur igitur nos vquam in consilio impiorum, ne prauis nostris consilijs malum alicui moliamur, ne denique peruersis iniquorum sanguinolentorumq; consilijs acqui-

VI.

*Consilia dolosa.**Achitophel.**Aman.**Impiorum consilia fugienda.*

quiescamus: quin potius in Deo maneamus consilia nostra, hoc est, & sola pia consulamus alijs, & solorum piorum ipsi consilij vtamur. Psal. 1. 26. Prouerb. 1. Tob. 4.

VII. Postremò verò, quoniam reliqui adhuc sunt verbi diuini adulteratores, & qui nihil nisi obscœna otiosaq; effutire norunt, de his etiam vtrisque non nihil in medium adferamus oportet. Coniungimus autem vtrosq; quòd eodem ferè studia ipsum tendant: nam vt illi fidem orthodoxam, ita & isti vitam ac mores Christianos corrumpunt. De illis itaq; qui inquam sub verbi Dei prætextu impias animis simplicium opiniones instillant, multa admodum apud præsertim Hieremiam & Ezechielem habemus. Iere. 23. Ezech. 13. vbi vocat Dominus dispersores gregis sui, populi sui deceptores, confortatores manuum pessimarum, loquentes visionem cordis sui non ex ore ipsius, prophetantes iniussos in nomine ipsius mendacium, fures verbi sui: sicq; demum in eosdem inuehitur: Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes, Ait Dominus: quum Dominus non miserit eos. Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana & diuinant mendacium: in concilio populi mei non eruet, & in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur: & scietis, quia ego Dominus Deus. Et post pauca: Hæc dicit Dominus Deus, Væ qui consuunt puluillos sub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas: & cum caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmen panis:

Corrupta & adulterata doctrina.

In Pseudoflores.

panis: vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad puluillos vestros, quibus vos capitis animas volantes: & dirumpam eos de brachijs vestris: & dimittam animas quas vos capitis, animas ad volandum. Et dirumpam cervicalia vestra, & liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt vltra in manibus vestris ad prædandum: & scietis, quia ego Dominus. Ezech. 13. In his nimirum verbis graphicè depinguntur & certa pseudodoctorum iudicia & ipsorum sequutura pœnæ. Quisquis igitur prophetiam habet, hoc est, officio publice docendi interpretandiq; Scripturas in Ecclesia fungitur, is (si salutis suæ cupit consultum) à iam dictis notis sit longè alienissimus, curetq; vt prophetia sua analogiæ veræ Catholicæq; fidei per omnia respondeat, ac loquatur verbum ex solo ore Domini. Rom: 12. Ezech: 33. Quisquis adhæc ex populi Christiani albo vllam habet salutis suæ rationem, is diligenter obseruet pseudoprophetarum notas, ab hisq; modis omnibus sibi caueat, vt vt alioqui veniant sub pelle ouina, puluillosq; rudi popello supponant, hoc est, scripturarum citent testimonia, de verbo Dei glorientur, placentiaq; vulgo loquantur. Matth. 7. Esa. 30. Ierem. 23. Sed vt iam illorum etiam meminimus, qui bonos mores deprauant, vt isti fidem: dicit apertè Paulus, Corruptunt bonos mores colloquia praua. I. Corinth. 5. hortaturq; pro in omnes nos, ne vllus sermo spurcus seu malus ex ore nostro procedat. Ephe. 4. imò ne obscœnitas, aut stultiloquium, aut scurrilitas nominetur in nobis. Ephe, 5. Id verò tandem ibidem

*Doctor Cæs
tholicus vt
se gerere de-
beat.*

dem subiungit: Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Quin & Christus ipse apud Matthæum in hæc erumpit verba: Dico autem vobis, quoniam de omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationē in die iudicij. Matth. 12. Ne finamus ergo vllum verbum malum otiosum iue progredi ex ore nostro, sed sit sermo noster semper sale conditus ac bonus, ad solamq; fidei ædificationem & vtilitatem audientium proferatur. Eph. 4. Coloss. 4.

CONCIO DECIMA IN IX.

ET X. PRAECEPTVM.

EA præcepta, fratres sororesq; in Domino amicitissimi, quæ (post ipsius Dei ac Parentum nostrorū venerationem præscriptam) docuerunt nos quoniam pacto erga proximos æqualesq; nostros gerere nosmet debeamus, iuxta externam literam ad sola facta & verba tendere videntur: nam si soli literæ seu externo verborum sensui in hære velimus, nihil aliud quinto præcepto, quàm actus homicidij externus, nihil præcepto sexto aliud, quàm actus ipse nefariæ veneris, nihil aliud mandato septimo, quàm externum duntaxat furandi opus, nihil denique octauo præcepto aliud, quàm ipsa falsa noxiaque verba seu linguæ abusus prohibetur: vnde nimirum & Pharisæi persuasi erant, se abundè satis iisdem præceptis satisfecisse, si neminem corpore tenus interimerent, nullius ipso facto vitarent coniugem, nullius bona furto rapinave corporali auferrent, nec apertè falsum testimonium aduersus aliquem in foro iudicariō molirentur. Ne igitur quis colligeret statueretque

que hinc, quiduis interim licitum esse animo, hūc inquam in omnifarios prauos affectus concupiscentiasque posse pro voto exastuare, veluti in iram, odium, libidinem auaritiam, &c. subiecit Deus Opti. Maxi. tandem duo mandata: nempe postrema illa quæ explicanda adhuc restant, iisque ipsam etiam concupiscentiam siue vitiosam animi libidinem exercere vetuit: vt videamus nimirum non verbis tantum & operibus externis exercenda esse charitatis misericordięque munia, sed & in ipso corde charitatem sinceram radicatum esse oportere. Videmus item, nequaquam sufficere iustitiam illam Pharisaicam, sed longè abundantiore absolutioreque requiri à nobis, si quidem in regnum cœlorum cupiamus ingredi. Matth. 5.

Ita verò habent præcepti vtriusque verba: *Non concupisces uxorem proximi tui. Non (desiderabis proximi tui) domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec vniuersa, quæ illius sunt.* Deuteronomij quinto.

Quod ad literalem quidem (vt sic dicam) sensum præceptorum horum attinet, prohibet altero Dominus carnis concupiscentiam seu libidinem, altero autem concupiscentiam oculorum siue auaritiam: atque eatenus sunt ea magis præcepti sexti & septimi explanationes, quàm mandata noua. Postrema hæc duo præcepta sunt sexti & septimi explanationes.

In præcepto itaque sexto, Adulterio seu Mœchæia nobis interdictum est, hoc est, ne coniuge alterius per venerem illicitam abutamur, nec fornicationi alicui ipso actu indulgeamus. Verum hic ipsa etiã concupiscentia vetatur, hoc est, ne vel affectus noster ad Adulteriũ fornicationẽue vllã pro-

propendat, sed vt tam animo quàm corpore casti simus. Huc nimirū, quod & supra adduximus, verbum illud veritatis ipsissimæ vnicè spectat: Quicumque aspexerit vxorem alterius ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Matth. 5. Quicquid autem de vxore hic dicitur, idem & de marito alterius intelligendum venit, adeoq; & de sponso ac sponfa. Quare ex professo transgrediuntur mandatum hoc, qui proximo coniugis suæ honestatem elegantiamve inuident: qui item alij optant mortem, quò vxore eius vel marito pro voto potiantur: qui denique aut sponsum ab sponfa abalienant, aut virginem mulieremve alteri desponsatam callidis consilijs præripiunt.

*Transgressores
res mandati
noni.*

In septimo verò mandato, furtum nobis prohibitum est, hoc est, ne alterius bona aut facultates (citra nimirum ius & æquitatem, cumque fraude seu damno illius) in nos modo villo transferamus. At hic Dominus vult, non solum non inuadenda esse proximi bona, sed ne nimio quidem cogitatu desideranda: contra verò hoc requirit à nobis, vt forte nostra simus contenti, alios rebus bonisque suis pro necessitate vti fruiue sinamus, proximiq; commodis perinde ac nostris ex animo gratulemur. Tenentur itaque præcepti huius rei, quicumque alterius felicitati opibusq; inuident, qui (honesto quidem in speciem titulo, sed non citra priuatum quæstum) aliorum vel bona vel familiam certè sibi adijcere satagunt, qui deniq; quouis modo ad avaritiam propendent. In summa: Quicquid concupiscit aut obtinere quis conatur, quod (si eo potiri contingat) fraudi damnòve esse possit alteri, id vetatur exerte & citra exceptionem vllam hoc præ-

*Transgressores
res mandati
decimi.*

præcepto: alioqui nõ statim crimen est, si quis mulierem optet ducere, posteaquam desierit viuere maritus: si quis item alterius familiam cõcupiscatur, vbi ea ab illius, cui hæctenus inseruiuit, domo iugoq; fuerit liberata: si deniq; possessionem quis alienam vel dono spontaneo, vel empto certè suam fieri cupiat.

Cæterum non concupiscentia duntaxat oculorum & carnis, hoc est, libidine & avaritia, interdicitur nobis hîc: sed & in genere cõcupiscentia seu prauo affectu omni, qualiscunq; ea demum sit, siue proximo fraudi, siue alioqui placitis diuinis contraria, excepta prorsus nulla. Contrà verò exigitur à nobis, perfectissima cordium nostrorum puritas seu castitas, arctissima proximi dilectio, maxima paupertas spiritus, summa (breuiter) cogitationum nostrarum omnium custodia: ne vide licet quicquam vel cogitemus vel velimus, nisi quod sit pium, castum, iustum, honestum. Huc iam pertinet locus ille Rom. 7. vbi in genere dicit Paulus: Non concupisces. Sed & ille, qui est Philip. 4. vbi sic idem inquit: De cætero fratres, quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.

Ne verò quis despondeat mox animum, si qua concupiscentia mala tentetur: sciamus, non peccatum esse tentari, sed vinci tentatione, hoc est, adlubescere assentiriq; ipsi concupiscentiæ. Non quidem virtus est, imò verò vitium est corruptæ nostræ naturæ, quòd propensionem perpetuò in nobis ad mala sentimus: Verum id consolari nos hîc debet, quòd ea remissa nobis sit in Baptismo per

Non oculorum tantum concupiscentia hic vetatur, sed prauus quisque affectus.

Quid à nobis nono præcepto exigatur.

Non est peccatum tentari, sed vinci tentatione.

Propensio ad mala, corruptæ naturæ vitium est.

inmensam Domini Iesu bonitatem, ita vt non imputetur pro peccato, multò minus condemnatio-
ni nos inuoluat, modò tamen mortificemus car-
nis facta, nec obediamus illi per cupiditates eius.

*A concupiscen-
tiis vix quis
quã immu-
nis.* Quum ergo vix immunes ab ipsa concupiscentiã
tentatione simus, nemoque gloriari verè possit se
cor habere castum purumque. Prouerb. 20. proxi-
mum est, ne eamus post concupiscentias nostras.
*Concupiscen-
tia tentatio
ni quomodo
resistendum.* Ecclesi. 18. vtque vigilemus & oremus, ne intre-
mus in tentationem. Matth. 26. sobrij item simus
ac prudentes. 1. Petr. 5. adeoq; vniuersam Dei pa-
nopliam assumamus. Ephe. 6. renitaturq; conatu
omni Diabolo. Iacob. 4.

*Breuius di-
cta tenacius
hærent.* Et si iam ea, quæ adduximus hætenus, fusius di-
duci explicariq; possunt: tamen, quia breuius di-
cta tenacius inhære consueuerunt memoriæ, si-
nem hic Conciunculæ nostræ præsentì impone-
mus, vbi summã ipsam repetierimus tribus (quod
aiunt) verbis.

*Breuis repetitio
eius ante
dictorum in-
nuis, quid po-
stremis duo-
bus præce-
ptis summa-
tim doceas-
tur.* Docemur itaque ex hisce duobus postremis præ-
ceptis, cordis ante omnia in mandatis omnibus
habendam nobis esse rationem: nam (vt Christus
ipse Matt. 15. testatur) quæ progrediuntur ex cor-
de, ea hominem reddunt impurum: de corde enim
exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria,
fornicationes, furta & falsa testimonia, blasphem-
iæ. Docemur item ex præceptis ipsdem, spiritua-
lem omninò esse legem, requirereque Deum cor
prorsus mundum, sincerum & candidum, difficili-
mamque proinde esse Decalogi impletionem: quis
enim (vt & paulò antè attigimus) potest dicere,
Mundum est cor meum, purus sum à peccato?
Prouerb. 20. Quare reliquum est, vt & imperfectio-
nem nostri hinc discamus desleamusque, & intio-
riori

tiori desiderio ad gratiam diuinam anhelamus, & ardentioribus porro studijs ad perfectionem entamur: quò nempe & ipsi cum Paulo verè dicere possimus, Philip. 3. Vnum autem quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in CHRISTO IESV.

Sed de his proximè agemus & commodiùs fortè & vberius. Nunc verò, quando ad umbilicum deduximus Decalogum pro nostra virili, altè insidat animis nostris appendix illa & terribilissima & consolantissima, quam appegit præceptis suis Dominus, sic inter alia inquitens: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Exod. 20. Hæc inquam verba nostro circūdēmus gutturi, describamusq; in cordis nostri tabulis. Prouerb. 3. ac timeamus Dominum Deum nostrum, inque mandatis ipsius ambulemus. Deut. 6. quò ita & à transgredientium maledictione simus liberi, & ad perhennem feliciter obedientibus paratam benedictionem eucharistiam mur.

A M E N.

F 2 DE

74
DE SYMBOLO APO-
STOLICO CONCIO XI. DE
NECESSITATE FIDEL.



Explicuimus vobis hactenus pro ingenij nostri viriculis, fratres sororesq; in Deo charissimi, diuinæ Legis seu Decalogi & verba præcipua & genuinam mentem: ecquid nimirum facere, quid contrâ fugere nos oporteat, quid Deo ipsi debeamus, quid debeamus & proximo. Atque vt summam audita omnia complectamur, audistis, requirere Deum & in sui cultu & in Parentum Proximorumque obseruantia, primò omnium ipsum cor, dein verba, mox & opera: ac cor quidem totum, hoc est, omnem nostrum intellectum, omnem nostram memoriam, oem nostram voluntatem, omnes cogitationes nostras: verba item omnia, vt nihil videlicet loquamur, nisi quod & ad suam unicè cedat gloriam & ad proximi ædificationem singularem tendat: omnia deniq; opera seu facta nostra, vt quicquid vel facimus vel possumus, inde glorificetur ipse, inde & proximus iuuetur: sicque summam animi puritatem, & perfectissimam charitatem, innocentissimam vitæ innocentiam, perfectionem absolutissimam.

*Legem Dei
viribus nostris
implere
non
possumus.*

Si iam hîc, semotis cogitationibus studiisque alij omnibus, probè ac seriò expendamus examine musq; nos ipsos: videbimus haud dubiè, & ipso qui dem sole meridiano clariùs videbimus, & peccatores nos esse omnes, & Legem Dei viribus nostris naturalibus impletu esse omninò impossibilem. Nam quis nostrum quæso affirmare auit, se mandata

data omnia & corde toto & verbis operibusq; omnibus impleuisse aut etiam nū implere? Nemo certe, nisi Phariseus omninò. Lex enim (vt testatur Paulus Rom. 7.) spiritualis est, nos autem carnales sumus, venditi sub peccato. Vnde nempè iure optimo Salomon dicit: Quis potest dicere, Mundū est cor meum, purus sum à peccato? Si carnales sumus, si non habitat in carne nostra bonum, si nemo purus à peccato est: quis audeat ergo polliceri, se suis posse viribus Legi satisfacere? Nemo profectò nisi Pelagianus arrogans, Velle (inquit Apostolus) adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio: id est, (vt Augustinus interpretatur) non possum. Verè igitur idem Apostolus dicit: Per Legem, cognitio peccati. Rom. 3.

Augustinus:

Quamquam autem peccati cognitio miris modis perterrefacit hominem, admodum tamen utilis est: quemadmodum & morbum agnoscere, primus est ad sanitatem gradus. Nam vt ægrotus cognito morbo & morbi periculo, per eam cognitionem monetur, vt medicum & desideret & studio summo quærat: Ita & homo, agnitis peccatis ac grauissimis horum discriminibus, quin agnita quoque sua impotentia, ea agnitione inflammatur, vt & desideret & quærat illum, qui à peccatis ac commeritis supplicijs liberare ipsum possit, per quem & Legem porrò queat implere. Sed quisnam is est? Solus nimirum Deus. Ecquomodo verò id impetratur ab illo? Fide profectò. Nam credentibus in ipsum, Spiritus sanctus datur: per hunc autem diffunditur charitas Dei in cordibus nostris: charitas inquam, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos. Porrò charitas, Legis plenitudo seu impletio est, & finis præcepti. Ioan. 7.

Peccati cognitio admodum utilis. Morbi cognitio, primus ad sanitatem gradus.

Simile peccati & morbi.

Charitas legis impletio & finis præcepti.

Actorum 19. Galat. 3. Roman. 5. 13. 1. Timoth. 1.

Augustinus.

*Lex vt
per quem
pluri queat.*

His verò pulchrè iuxtà ac euidenter D. Augustinus subscribit, cùm alibi, tum præsertim in libro suo de Spiritu & Litera: ex quo & nunc quædam haud contemnenda adducemus. Sic igitur dicit ille cap. 9. Per legem ostendit (Deus) homini infirmitatem suam, vt ad eius misericordiam per fidem confugiens sanetur. Voluntas ostenditur infirma per legem, vt sanet gratia voluntatem, & sanata voluntas impleat legem. Et cap. 13. Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit: Non concupisces. Ista dicit: Quom scirem, quia nemo esse potest continens, nisi Deus det: (& hoc ipsum erat sapientiæ scire, cuius esset hoc donum) adij Dominum, & deprecatus sum. Et paulò post eodem capite: Ac per hoc lege operum dicit Deus, Fac quod iubeo: lege fidei dicitur Deo, Da quod iubes. Ideo enim iubet lex, vt admonear, quid faciat fides: id est, vt cui iubetur, si nondum potest, sciat quid petat: si autem continuo potest & obedienter facit, debet etiam scire, quo donante possit. Item cap. 14. Litera prohibens peccatum, non iustificat, sed potius occidit augendo concupiscentiam & iniquitatem, præuaricationem cumulando: nisi liberet gratia per legem fidei, quæ est in Christo Iesu, cùm diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rursum cap. 19. Illa enim (nempe Lex) sine adiuuante spiritu, proculdubio est Litera occidens. Quom verò adest viuificans Spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligere, quod foris scriptum Lex faciebat timeri. Et cap. eodè: Lex ergo data est, vt gratia quaereretur. Gratia data est, vt lex impleteretur. Neque enim suo

Vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit. Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustitia legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum, Capite denique 28. Quæ (subaudi, Mandata) vt possit homo facere, Deus operatur in homine per fidem Iesu Christi, qui finis est ad iustitiam omni credenti: id est, cui per Spiritum incorporatus, factusque membrum eius, potest quisque (illo incrementum intrinsecus dante) operari iustitiam. De cuius operibus etiam ipse dixit: Quia sine me nihil potestis facere. Ideo quippe præponitur iustitia legis, & qui fecerit eam, viuat in illa: vt cum quisque infirmitatem suam cognouerit, non per suas vires, neque per literam ipsius legis, quod fieri non potest: sed per fidem concilians iustificatorem præueniat, & faciat & viuat in ea. Opus enim, quod qui fecerit viuet in eo, non fit, nisi à iustificato. Iustificatio autem ex fide impetratur. Et post modicum interstitiū: Fide igitur IESV CHRISTI impetramus salutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in spe. &c.

Ex hisce inquam apertissimis D. Augustini testimonij colligere omnibus potest, & humanis viribus impossibile (nedum difficilem) esse diuinæ legis impletionem, & per fidem tamen impleri eam posse. Quum igitur id, quod per naturam impossibile profum est, per fidem & impetretur & possibile (imò facile etiam) fiat, nemo profectò

*Cur auctor
Symbolum
Decalogo
subiiciat,*

est, qui non videat, pulchrè ac conuenienter admodum Decalogo Symbolum Apostolicum subiici: ideoq; & nos illud ipsum in ordinem hunc rede-
gimus, proximeq; post Decalogi absolutam elucida-
tionem tractandū sumpsimus. Vt enim Lex (ceu
abundè satis suprâ sumus edocti) ostendit, egere
nos Medico, à quo & corruptum nostrum liberum
arbitrium & virium nostrarum infirmitas sanetur:
ita Symbolum ipsum, eum nobis Medicum coram
exhibet. Vt item præcipit Lex, vnum duntaxat ag-
noscendum colendumque nobis Deum esse: ita in
Symbolo explicatum habemus, ecquis sit Deus il-
le vnus, quem solum nos & agnoscere & colere o-
porteat, nimirum Deus Pater, Deus Filius, & Deus
Spiritus sanctus.

Et si autem maiori nunc temporis penuria labo-
ramus, quàm vt in Concione præsentis ad ipsa Sym-
boli verba pertingere nobis commodè liceat: ea ta-
men enodabimus breuiter, quorum vnumquem-
que nostrum initiò statim admonitum in illo esse
necesse est: quò sic videlicet tum, vbi ad verba eius-
dem ventum fuerit, omnia & expeditius & maiori
cum fructu à vobis excipiantur. Animaduertite
igitur iam quàm diligentissimè.

*Symboli diuisio
in tres
partes: In si-
dem Creatio-
nis,
In fidem Redem-
ptionis,
In fidem san-
ctificationis*

Principiò quidem obseruandum est, in tres præ-
cipuas partes diuidi Symbolum: nempe in fidem
Creationis, in fidem redemptionis, & in fidem San-
ctificationis. Prima pars, personam & proprietatè
describit Dei Patris: secunda, Dei Filij: tertia Dei
spiritus sancti.

Quum audimus autem treis personas, quarum
cuiq; Dei tribuitur appellatio: ne in hanc impieta-
tem prolabamur vnquam, vt putemus statuamus-
ve treis esse Deos. Tres quidem distinctæ personæ
sunt,

sunt, Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus: sed harum trium personarum vna indiuiduaq; est Deitas, eadem essentia seu natura, eadem omnipotentia, eadem maiestas, eadem sapientia, eadem bonitas, eadem æternitas: ita, vt tres vnus duntaxat Deus sint, minimè verò tres Dij. *Tres distinctæ: Vnitatem solam habet Diuinitas seu Deitas, Et a persona pluralitatem nescit.* Et ordinem quidem habet ternio hîc, at inæqualitatem nullam habet. Neq; vlla trium harum personarum in diuinitate est aliâ tempore posterior vel dignitate inferior. Pater ab æterno est, à nullo neq; factus, neq; creatus, neq; genitus: Filius item ab æterno est, à Patre solo, non factus aut creatus, sed genitus ineffabiliter: Spiritus denique sanctus ab æterno quoq; est, non factus, nec creatus, neq; genitus, sed à Patre simul & Filio perpetuò procedens. Cæterum nemo hîc disquirere inuestigarèue tentet, quónam pacto tres personæ distinctæ vnus tantùm esse possint Deus, & vnus idemq; Deus tres complecti possit distinctas personas. Sacra nimirum scriptura docet, Patrem & Filium & Spiritum sanctum treis re vera esse in personis, verùm vnum Deum in substantia ac diuinitate. Huius auctoritate & assertionem contenti simus, nec curiosius quæ captum nostrum excedunt perscrutari conemur: cogitantes videlicet scriptum esse Prou. 25. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Item Eccles. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Multos enim supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum. Quin potius exclamemus omnes, tum hîc, tum in alijs quoq; incomprehensibilibus fidei nostræ articulis, cum Paulo: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm

*Mysterium
Trinitatis
curiosius nō
perscrutandum.*

incomprehensibilia sunt iudicia eius, & imperue-
rigabiles viæ eius, &c.

Hiscæ iã necessarijs præmissis admonitionibus,
quum præsertim hora dudum præterlapsa sit, con-
clusam in præsentiarum volumus concionem no-
stram. Dominus interim faxit quæso, vt & audita
alta reponatis mente, & ad orationem proximam
paratiores alacrioresq; reuertamini.

CONCIO XII. QUID SIT,
CREDERE IN DEVM.

Accepistis in Concione nostra proximè habi-
ta, fratres sororesq; dilectissimi, quamã no-
bis re opus cum primis sit, vt Decalogi præcepta,
quæ vires alioqui humanæ per sese absoluerè ne-
queunt vnquam, implere feliciter possimus: nimi-
rum fide, quippe quæ & Spiritum sanctum nobis
impetret, & per hunc omnia nobis faciat possibili-
lia faciliaq;. Accepistis quoque, Symbolo Aposto-
lico præcipua veræ Catholicæq; fidei capita con-
tineri, nempe nostri & creationem & redemptio-
nem & sanctificationem, ipsiusq; adeò veri ac vni-
us Dei demonstrationem descriptionemq; longè
certissimam. Accepistis demum, ecquid de Trini-
tate in Vnitate, & vnitatem vicissim in Trinitate piò
sentiendum sit: hæcque mysteria ineffabilia, ado-
randa potius & admiranda, quam scrutanda esse.

*Symbolum
apostolicum
continet præ-
cipua Catho-
licæ fidei ca-
pita.*

His igitur sic vtunque explicatis ac cognitis,
ordo locusque monet porro, vt ad ipsa iam Sym-
boli nostri sanctissimi verba accingamur: quò vi-
delicet probè intelligamus omnes, quod toties
ingeminatur à nobis quotidie, quodque longè
perspectissimum habere nostra omnium vnicè
refert.

Principiò autem, & per totam quidem Concio-
nem præsentem, initium ipsum ac caput Symboli
explicare pro virili decreuimus, quod nempe ita
habet: *Credo in Deum.* Nam etsi verba hæc, syllabas
præsertim si numeremus, sunt quàm breuissima:
tantam tamen habent energiam, vt quisquis ea &
ex animo dixerit & re vera senserit, æternam bea-
titudinem sit consequitur: copiosaq; proin, vt
penitissimè nimirum animis nostris instillentur,
declaratione indigent.

Vt igitur à vocula illa (*Credo*) auspicemur, *Trifarius cre-*
obseruandum nobis est, tripharium esse credendi
modum. Dicimus enim: Credo Deum, Credo Deo,
& Credo in Deum. Credere Deum, in quo nempe
primus ad salutem gradus consistit, est, credere
quòd Deus sit, quodq; vera sint, quæ de illo in sa-
cris literis commemorantur: hæc fides dicitur hi-
storica, & ipsis dæmonibus nobiscum communis.
Credere autem Deo, qui nimirum est gradus secun-
dus ad salutem, est, credere quòd Deus sit verax &
vera loquatur, ideoq; eius & promissionibus &
comminationibus adhibere constanter fidem: hæc
fidem tam iniusti quàm iusti habent. Credere ve-
rò in Deum, qui videlicet tertius proximusque est
ad salutem gradus, est, spem fiduciamque omnem
in Deum collocare, ipsumq; vt summum bonum
diligere, atque adeò & diligendo in ipsum tende-
re: hæc fides solis Pijs ac veris Credentibus pecu-
liaris est, quam Theologi formatam seu viuam vo-
cant, quàmque D. Paulus per charitatem opera-
ri ac iustificare dicit. Galat. 5. Roman. 3. 4. 5. Ex
hac igitur triplici credendi ratione facilè colligere
licebit, quidnam vera ac saluifica sit Fides,
per quam (ceu diximus supra) Legem diuinam
imple-

*Credere Deū**Fides histori-*
*ca.**Credere Deo**Credere in*
*Deum.**Fides forma-*
ta, seu viu.

implere possimus, imò quæ ipsa sit cõseruatio mādatorum. Eccle. 32. quòd nimirum virtus sit huiusmodi, diuinitus nobis infusa, qua Deum illum vnum ac verum (quem Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse constat) cognoscamus apprehendamusque: qua habeamus pro longè compertissimis, quæcunq; sacris voluminibus sunt tradita: qua item certissimam concipiamus de promissis diuinis fiduciam, Deiq; contrà promulgatas cõminationes sancto metu timeamus: qua deniq; nos ipsos & nostros & nostra omnia tradamus vnicè per omnem vitam diuinæ voluntati, inque Dei nostri gratiam quiduis & faciamus & vitemus & patiamur. Hæc inquam vera viuq; & absoluta fides est, Hæc fides illa est, quam tam honorificentè concelebrant passim sacræ literæ, cuique tanta omninò in Instrumento præsertim nouo accepta feruntur. De fide hac loquitur vnicè Ecclesiasticus, vbi sic inquit: In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ; hæc est enim cõseruatio mandatorũ. Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur. Eccle. 32. Nemo igitur quamlibet fidem sufficere putet, imò nemo de falso otiosouè gloriatur fidei titulo. Nam quæ charitatis est expers, quæ bonorum operum fructibus caret, quam nulla erga Deum & huius placita sanctissima comitatur obedientia, ea mortua est, nec potest iustificare quenquam, Iacob. 2. Cæterum verè in Deum credamus, seu vera viuq; præditi sumus fide, non humanæ industriæ seu virium nostrarum est, sed est Dei donum, ab hocq; vno ambiendum votis ardentibus venit. Nam sic ait ad Petrum Dominus: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Matt. 16. & ad Iu-

dzo-

*Vt huiusce
temporis qui
dam, fidem
subinde eas
elantes solũ.
Fides absque
operibus mor-
tua.*

*Verè in Deũ
credere, Dei
donum est.*

dæorum turbas: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis ergo qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Ioan. 6. Diuus autem Augustinus, qui nimirum vnice in libro de Prædestinatione sanctorum in nostram itententiam, multis quidem alijs sacre Scripturæ testimonijs idem contra Pelagium euincit, verum omnium maximè dicto illo Pauli 2. Corint. 3. nititur: Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Hinc enim ille sic infert: Attendant hic, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei conceptum, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis em̄ non videat, prius esse cogitare, quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitauerit esse credendum. Et paulò post: Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus: si non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobis ipsis, quod sine cogitatione non possumus: sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est. Cap. 2. Sed dixerit fortè quispiam: Ergone nullus in credendo est voluntatis nostræ, auditus item verbi diuini, ac laboris conacionatorij vsus? Hæc profectò media nequaquam nos exclusa volumus. Scimus nanq; & fatemur lubentes, requiri ad fidem liberum voluntatis nostræ arbitrium, esse fidem ex auditu, perq; verbi ministros credere nos: verum dicimus cum Augustino, imò

*Augustinus.**Cogitare prius, quàm credere.**Questio.**Liberum arbitrium.*

imò cum ipsis sacris literis, voluntatè preparari à Dño, nec posse nos velle citra Dei vocationè. Pro: 21. Ephe. 2. Dñm item solum, & auris audientis, & oculi videntis auctore esse. Prou. 21. in vanum deniq; eum qui fidem ædificat laborare predicando; nisi eam Dominus intus ædificet miserando. Aug. lib. de prædest. sanct. cap. 7. Est igitur audiendum quidem verbum Dei, est & Prædicatorum ministerium summo loco ducendum, est denique accommodanda etiam ad ipsum verbum auditant nostra voluntas: at incrementum interim omne soli Deo acceptum à nobis ferendum est, ideoq; in ipso vno gloriandum, non in nostra ipsorum aut cuiuscunq; hominis industria. Sed hæc de vocula illa (Credo) hæctenus.

*Dei nomen
elatura &
energia.*

Iam verò & Dei paucis nomenclaturam energi- amq; expendemus. Quisnám verè Deus sit, abundè satis in superioribus ostendimus: nimirum, Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres quidem personæ distinctæ, sed vnicus duntaxat Deus ipsa essentia. At quid Dei appellatione intelligendum veniat, non omnibus perinde clarum est, ideoq; explicatio necessariò indiget. Est igitur hîc primò sciendum, Dei vocabulum desecti à Latinis, vel à

*Dei vocabu-
lum vnde di-
catur.*

lando, quòd nimirum Deus omnibus det: vel in- de, quòd nihil ei desit: vel à *δῆος*, hoc est, timor, q̄ scilicet timeatur ille ab omnibus: vel denique à *θεός*, th mutato in d. *θεός* verò, Græcis deriuatur aut à *θεωμαι*, quod est, speculor seu video: vel à *θεω*; quod est, curro: aut ab *αἴθερ* quod est, vro: nam vi- det & contemplatur omnia Deus, vbiuis quoque locorum est ac suis succurrit, est denique ignis consumens. Deuter. 4. Hebr. 12. Porrò apud Ger- manos Dei nomenclatura à bono deducta vide- tur.

*Nomenclat.
Gott à Gutt
deducto.*

tur. Dicunt enim illi, Gott, quasi dicerent, Gutt: & rectè quidem, nam nemo bonus, nisi solus Deus. Matth. 19. Secundò autem obseruandum erit, tribus modis vsurpari Dei nomen: propriè nempe, *Nominis Dei triplex vsurpatio.* *Propria.* *Impropria.* *Falsa.* *Dei bisaria consideratio.* *I.* *Secundò propria essentia.* *II.* *Secundum progressus beneficos.* *De Deo ut loquendum est cogitandum.*

αταχρησικῶς seu impropriè, & falso. Propriè quidem & secundum naturam vsurpatur illud, quum de vero Deo trino & vno dicitur: Abusiue vero seu impropriè & secundum gratiam, quando tribuitur idem hominibus, maximè Magistratibus & pijs. Exod. 7. 22. Psal. 81. Ioan. 10. Falso autem, quando idola dæmoniæue Dij vocantur. Deuter. 4. Psalm. 95. 2. Corinth. 4. & alijs multis in locis. Caterùm tertio sciamus oportet, bifariam considerandum nobis proponi Deum illum verum: secundum videlicet propriam ipsius essentiam, & secundum beneficos eius (vt cum D. Dionysio interim loquamur) progressus. Si igitur considerare illum iuxta essentiam siue naturam ipsius propriam velimus, nullum prorsus inueniemus ei nomè: quemadmodum nempe Iacob patriarcha audiuit, *Quis quæris nomen meum, quod est mirabile?* Gene. 32. ideoq; & Mosi à Domino dictum est, *Ego sum qui sum.* Sic dices filijs Israel: *Qui est, misit me ad vos.* Exod. 3. Si verò progressus illius beneficos spectemus, rectè liciteque nomen ei tribui potest: quemadmodum & scriptura eatenus multa variaq; ipsi tribuit nomina, vocans nimirum ipsum iam Dominum, iam altissimum, iam saluatorem, iam auxiliatorem, item patrem, vitam, robur, lucem, miseratorem, &c. Quarto verò ac postremo loco admoneri debemus, quòd quandoque de Deo vero vel loquimur vel cogitamus, non aliter de illo nobis aut loquendum aut cogitandum sit, quàm de mente substantiaq; æterna, qua

qua nihil possit esse neque maius neq; sapientius neq; melius: quæ sit sine initio, sine fine, inuisibilis, incorporea, simplex, non aliunde existens, immensa, ubiq; præsens, incomprehensibilis, inestimabilis, ineffabilis, immutabilis, fons & auctor omnium, à qua condita omnia suum esse habent. Talem inquam tãtamq; mentem ac substantiam sentire debemus, quum de Deo incidit vel mentio vel cogitatio. Verum ipsam Dei essentiam seu naturam diffinire inquirerẽve curiosius, nullo vnquam tempore in mentem nostram veniat. Nam vt illa inexplicabilis omnino est: ita & mera postremaque (Chrysofostomo teste) fuerit infania, explicare eam velle.

*Dei essentia
curiosius nõ
est aut desinenda aut
inquirenda.*

Ex ijs iam omnibus, quæ in Concione hac, cum de fide, tum de summo fidei obiecto Deo, attulimus in medium, satis superq; cuius vestrum constare confido, ecquomodo intelligendum sit initium illud Symboli Apostolici, *Credo in Deum*. Quare ne prolixiori vos oratione grauem, colophonem hinc illi addere placet: vos modò, quæ accepistis hæctenus, & sincerè interpretemini, & altissimè animis vestris insculpite: oremusq; omnes Deum illum nostrum Opt. Max. vt nos in veram solidamq; ac salutarem sui cognitionem perducere, inq; ea & confirmare & perfectiores indies reddere dignetur.

CONCIO XIII. DE PRIMA PERSONA, NEMPE DEO PATRE.

Declarauimus vobis in proxima nostra Concione, fratres sororesq; in Christo amantiissimi, quatenus nimirum & nobis licuit & vestro conuenit captui, quidnam sit in Deum credere. Vt

autem

autem summariam ea, quæ ad longum tractauimus *Repetitio*
 tum, repetamus, diximus, credere in Deum, esse nō *summaria sibi*
 solum credere quod Deus sit & quod vera is lo- *perioris com-*
 quatur, sed spem etiam omnem in Deum colloca- *tionis.*
 re, ipsumq; vt Deum ac bonum summū diligere;
 atq; ad eō & diligendo in ipsum tendere: diximus
 item, Deum esse mentem substantiamq; æternam;
 quæ sit sine initio, sine fine, simplex, inuisibilis, in
 corporea, non aliunde existens, immensa, vbique
 præsens, incōprehensibilis, inæstimabilis, ineffabi-
 lis, immutabilis, omnipotens, fons & auctor om-
 nium, vnde veniat rebus conditis vt sint aliquo
 modo, qua nihil denique sit aut esse possit maius
 sapientiusq; & melius.

Nunc verò & tempus & ordo postulat, vt ad pri-
 mam Symboli partem (quæ nempe de Creatione
 est, quæq; Dei Patris nobis personam describit) ex-
 plicandam accingamur rectā.

Sic igitur Symboli verba habent:

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem celi &
terra.

Hic compendiō habemus, ecquid de prima in
 Trinitate persona credere sentireq; nos oporteat:
 nimirum, quod sit Pater, quod sit Omnipotens,
 quod denique sit cæli ac terræ conditor.

Dicitur autem eō pater, cūm quod natura pater *Deus Pater*
 sit Domini nostri Iesu Christi, tum quod gratia & *dicitur duo*
 adoptione pater sit Credentium omnium. Ioan. 1. *plici ratioe*
 Christum quidem naturalem videlicet filium su- *1.*
 um, ab æterno ac modo prorsus ineffabili, de sua *Quod Iesu*
 ipsius substantia genuit, idque solus, citra alterius *Christi Deū*
 adminiculum: & sic sanè de sua illum substantia *mini nostra*
 genuit, nō vt partē substantiæ suæ in ipsum trans- *natura sit*
 fuderit, sed vt substantiam eandem communica- *pater.*
 uerit

uerit ei totam: sic item genuit illum, non vt gignens & genitus duos Deos constituent, neq; vt genito sit gignens tempore prior, sed vt ambo sint vnicus duntaxat Deus, vtq; eadem vtriusq; sit æternitas.

II.

Quod gratia & adoptione pater sit Credens sanis omnium.

Credentes verò genuit idem Pater, imò infelicitèr ex Adam natos regenuit, non (vt filium illum suum naturalem) de sua substantia, sed ex mystico semine, nempe verbo veritatis, hoc est, per eundem filium suum Verbum æternum, item per Euangelium & Sacramenta, intercedente vera fide, cooperanteq; Spiritu sancto. Iacob. 1. 1. Petr. 1. Ioan. 1. & 3. 1. Ioan. 3. 5. non secundum merita illorum, sed iuxta copiosam suam misericordiam, ac voluntate destinata. Tit. 3. 2. Tim. 1. 1. Petr. 1. Iac. 1. non, quòd fecerit eos sibi consubstantiales, hoc est, eiusdem secum naturæ: sed, quòd consortes ipsos suæ naturæ fecerit, hoc est, immortalitatis, claritatis, gloriæque perhennis, ac vitæ æternæ hæredes. 2. Petr. 1. 1. Ioan. 3. Iam quatenus Deus Pater filium suum Iesum de sua substantia (ceu suprâ diximus) genuit, eatenus solus pater est, nec potest patris nomen in alias personas deriuari. Non enim se ipsum genuit filius, neq; Spiritus sanctus eum genuit, sed solus Patris, primæ inquam personæ, proprium est, genuisse de sua substantia filium. Quatenus verò is Credentium piorumq; est pater, eatenus & ipsi filio Christo ac Spiritui sancto, patris piè tribui potest nomenclatura. Dicitur namq; filius apud Esaiam pater futuri seculi. Esa. 9. vocaturq; & Spiritus sanctus ab Ecclesia pater pauperum.

Quatenus Christo filio Spirituiq; sancto, patris nomen tribui possit

Cæterum vt videamus quanto omninò intervallo differat Deus Pater ab ijs omnibus, qui in terris patres appellantur: habemus in Symbolo insignem admodum appendicem, quòd ille nimirum pater

pater sit omnipotens, qui vel vnico nutu quiduis *Deus omnipotens:*
 possit in cœlo & in terra, quantūlibet id alioqui
 hominibus impossibile incredibileq; videatur, ra-
 tionemq; superet humanam: ad cuius item poten-
 tiam summam omnis omnium, non hominū mo-
 dō potentissimorum, sed & dæmonum Angelorū-
 que, collocata potentia sit, cœu atomus aut guttu-
 la vnica vasti maris. Nouisse autem quōd Deus sit *Quantū cœo*
 omnipotens, mirum in modum ad excludendas o- *ducat cognos-*
 mnes ratiocinationes humanas in arduis fidei no- *scere, Deum*
 stræ articulis conducit, plurimumq; ad fidem im- *omnipotens*
 becillium confirmandā valet. Quidquid enim ob- *tem esse.*
 iicitur nobis hæctenus vel à Sathana vel ab huius *Hæretici, In-*
 instrumentis, Gentilibus Iudæisq; ac Hæreticis, id *dai atq; gena-*
 omne vnico hoc respōso teloq; fortissimo retin- *tilis Sathana-*
 dere licebit: Non est impossibile apud Deū omne *ne sunt ina-*
 verbum. Luc. i. omnia quæcunq; voluit Dñs, fecit *strumenta.*
 in cœlo & in terra, in mari & om̄ibus abyssis. Psal. *Omnipotens*
 134. Etsi verò soli Patri in Symbolo tribuitur Om- *tes cognos-*
 nipotentis cognomen, competit idem tamen non *men filio et*
 minū & Filio ac Spiritui sancto, quippe qui (vt abū *Spiritui sanc-*
 dè satis suprā demonstratū est) eiusdem omninō *cto etiam com-*
 cum Patre sint substantiæ & potestatis Vnde nūm- *petit.*
 rum rectè D. Athanasius in suo Symbolo inter alia *Athanasius.*
 inquit: Omnipotens Pater, omnipotens Filius, om-
 nipotens Spiritus sanctus. Et tamen non tres om-
 nipotentes, sed vnus omnipotens.

Sed expendamus iam, quōnam pacto Deus pa- *Quo pacto*
 ter omnipotentiam suam declarauerit, Creauit vi *Deus omnia*
 delicit cœlum & terram, idq; ex nihilo solo verbo, *potentiam*
 Cœlum inquam creauit, hoc est, primō ipsum fir- *suam decla-*
 mamentum cœli, vnā cū omni eius ornatu ac vir- *tauerit.*
 tute, Sole, luna, stellis, & quicquid his operationis
 inest: deinde cœlum supremum, hoc est, sedem *Creauit cœo*
 maij. *lum.*

*Creauit terra
tam*

maiestatis suæ, & omnes cœlestes spiritus, angelos, archangelos, cherubin, seraphin, thronos, dominationes, principatus, potestates, ac quicquid ij virtutis habent. Creauit & terram, hoc est, mundū hūc pulcherrimū, omneis homines, omnia animantia bruta siue aërea siue terrestria siue aquatica, omnes montes & colles, omnes arbores ac frutices, omnia prata & arua, omnes aquas & riuos, omnes denique abyssos, & quicquid ab his omnibus producitur. In summa: Omnia æquè condidit, & visibilia & inuisibilia, & lucem & tenebras, & diem & noctem: nec est in rerum natura quicquam, quod

*Creauit aut
omnia valde
bona.*

ab eo non sit creatū. Et creauit quidem ipse, quod cū primis obseruandum nobis est, omnia valde bona. Gen. 1. quemadmodum & etiamnum omnis donatio bona, omneq; donum perfectum ab ipso vno proficiscitur. Iacob. 1. Nam malorum ille minimè auctor est: Malorum inquam, hoc est, peccatorum. Quod enim apud Esaiam cap. 45. se & malum creare dicit, id non de peccatis, sed de afflictionibus ac supplicijs intelligendum est. Quemadmodum verò (vt paulò antè diximus) non Patri soli omnipotentia competit, sed & Filio simul atque Spiritui sancto: ita & hūc sciamus oportet, creatio nem item vtriq; perinde ac ipsi Patri, communem esse. Non solus enim Pater cœlum & terram condidit, sed condidit ea per Filium verbum suū æternum, perq; Spiritum sanctum vtriq; cooperātem: iuxta illud Psalmographi, Psal. 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cui nempe diuus Ioannes euidenter concinuit, sic de æterno Dei verbo (filio inquam) inter cœtera loquens: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ioan. 1. & Paulus: Qui est imago

*Creatio filio
spirituiq;
sancto per
inde ac ipsi
patri commu-
nis.*

imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita vniuersa, in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia: siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. &c. Col. 1. De Spiritu sancto autem ad hunc modum Psalter rursus ait: Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Psal. 104. Item Iob cap. 26. Spiritus eius ornauit cælos. & cap. 33. Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuitificauit me. Porro, dum audimus credimusq; Deum condidisse omnia, statuendum nobis simul est, quòd idem & condita gubernet conseruetq;. Non sinit enim immensa illa ac plusquam paterna ipsius bonitas, vt creaturæ suæ pereant, aut vt quicquam eis desit: iuxta illud Dominicum, Matth. 10. Nonne duo passeres asse vaneunt, & vnus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. Quò nempe vnice spectat & illud Ioan. 5. Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor. Ideo que rectissime iuxta ac verissime Propheta ille regius inquit: Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Psal. 22. item: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Psal. 26. item: Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imple omne animal benedictione. Psal. 144. item: que: Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manu

Quemadmodum Deus omnia condidit, sic eadem omnia etiam gubernat & conseruat.

tuam, omnia replebuntur bonitate. Pſal. 103. Vñ de & Paulus 1. Tim. 6. in Deo viuente ſpem ponendam docet, vt qui præbeat nobis omnia aſſatim ad fruendum.

Ea quæ hætenus à nobis in Concione præſenti adducta ſunt, mentem ſeu ſenſum huiusce primæ Symboli partis vtcunq; explicarunt: vt intelligamus ſcilicet pro cognitionis noſtræ modulo, Deum verè eſſe Patrem, eſſe item Omnipotentem, eſſe denique cœli terræq; ac omnium & Creatorem & Governatorem & Conſeruatorem. Cæterum iam ad ipſum quoque ſalutarem cognitionis ſeu fidei huiusmodi uſum accingemur: niſi enim is accedat, aut nihil profectò aut perparum profuerit nouiſſe, quòd talis tantuſque ille ſit, qualis quantuſq; nobis paulò antè depiſtus eſt. Si igitur aduerſiſtis hucuſque diligenter animum, vti par fuit, multò magis nunc aduertite. Conſiſtit itaque germanus ac ſalutifer eius uſus primò in hoc, vt corda noſtra vnice Deo innitantur, vtq; & nos totos & noſtra omnia conſidenter illi committamus: habentes nimirum pro Iogè indubitatiſſimo, quòd quum ille & pater noſter ſit & nos condiderit, & ſit omnipotens inſuper, nihil nobis vnquam ſit aut defuturum aut nociturum, ſed poſſet iuxtà ac velit in neceſſitate quacuſq; idem certò opitulari nobis, omniaq; & corpori & animæ ſalutifera pro paterna illa ſua in nos bonitate aſſatim largiri: à nullaq; proinde re noxia nobis timentes, non ab ipſo Sathana, non ab impio Mundo, non à beſtijs, nec à fame aut ſiti, neque à frigore vel æſtu, neque à morbis, neque à morte, neque ab inferorum denique terroribus Nam ſi Deus pro nobis, quis contra nos? Roman. 8. ſi is nos regit ac in loco paſcæ ſuæ

Uſus ſalutaris fidei, ex explicat a iâ prima Symboli parte cognita.

suæ nos collocat, quæ nam fames fitis uæ nos que-
 at excruciare? Pſal. 22. Si ille vitæ nostræ protector
 est, à quo trepidemus? Pſal. 26. Si idem sub ymbra
 alarum suarum protegit nos, ecquis nocuenti
 quippiam adferre nobis possit? Nihil ergo restat
 hic aliud, quam vt cum Dauide dicamus ex ani-
 mo omnes: Etsi ambulauero in medio ymbrae mor-
 tis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Do-
 mine. Si consistant aduersum me castra, non ti-
 mebit cor meum. Si exurgat aduersum me præ-
 lium, in hoc ego sperabo. Quoniam abscondit me
 in tabernaculo suo, in die malorum protexit me
 in abscondito tabernaculi sui. In petra exaltauit
 me, & nunc exaltauit caput meum super inimi-
 cos meos. Pſal. 22. & 26. Vnde: Tanta omnino a-
 nimi fiducia tranquillitasq; & consolatio inde
 oritur, quòd Deus pater noster est, quòd omnipo-
 tens est, quòd denique nos condidit. Cæterum se-
 cundo loco salutaris fidei huius vsus & in eo (id-
 que adeò cum primis) consistit, vt Patrem tam mo-
 dis omnibus benignum diligamus ex intimis cor-
 dis nostri penetralibus, voluntati item Dei vsque
 adeò potentis omnem & intellectum nostrum &
 voluntatem nostram alacriter penitusq; submitta-
 mus, Creatori denique tanto & omnia corporis
 animæque bona feramus accepta, & pro ijs laudes
 gratiasque deferamus immortales. Sic autem cha-
 rritatem illam nostrā erga Deum comparatam esse
 oportebit, vt ipsum apprehendamus tanquam ve-
 rè summum bonum, nihilque prorsus ei in amore
 vel præferamus vel æquemus, non parentes, non
 coniugem, non liberos, non amicos, non princi-
 pis alicuius amorem, non opes, non honores,
 non voluptates, nec ipsam quoque vitam: imò

omnia hæc odisse relinquereq; potius malimus, quam illum offendere: aut si quid post ipsum à nobis vel amatur vel colitur vel timetur, id omne tamen non nisi in ipso ac ipsius causa (quin & ad ipsius gloriam) amemus, colamus, timeamus. Sic verò nos intellectum voluntatemque nostram omnem submittere eius voluntati necesse est, ut quàmlibet excludamus ab animo hæsitacionem seu incredulitatem, ab omni ablineamus arcanorum illius curiosa peruestigatione, credamus ipsum esse in verbis suis omnibus veracem, & in cunctis suis operibus sanctum mirabilemque, statuamus (breuiter) omnia apud ipsum esse possibilis. Sic postremò & nostra pro acceptis bonis vniuersis gratiarum actio affecta erga illum esse debet, non tantum vt ea ipsi vni tribuamus ac verbis magnificis ipsum concelebremus, sed & vt ipsidem ad ipsius vnius voluntatem (minimè verò ad libidinem nostram) vtamur, omnem illorum vim ab ipso solo dependere persuasi simus, ideoque & in ipso (at nūquam vel in nobis ipsis vel in creaturis vllis) gloriamur, quin & animo atque tota vita ei gratias agamus. Non autem pro bonis modò, sed pro malis etiam & incommodis laudare ipsum gratiasque ei agere debemus: persuasi nimirum, diligentibus Deum, omnia cooperari in bonum. Rom. 8. nec derelinquere Deum sanctos suos, sed in æternum hos conferuare. Psal. 36. Vide, Hic alter fidei vsus est: qui sanè si adsit nobis, facit fiduciam consolationemque nostram longè certissimam: at si desit, præsumptio falsa erit quicquid nobis pollicemur. Nam etsi & mali conferuatur felicitanturque aliquando diuinitus, soli ramen pij ac viua præditi fide promissionē habent vitæ tum præsentis tum

futu-

*Abstinendū
à curiosa per
uestigatione
arcanorum
Dei.*

*Pro acceptis
bonis nō gra
tia tantum
Deo agenda,
sed ipsidem es
tiam ad ipse
ius voluntate
tem vtendū.*

*Pro malis es
tia Deo gra
tia agenda.*

futura. 1. Timoth. 4. deq; his solis dicitur: Beati omnes, qui confidunt in eo. P. sal. 2.

CÓNCIO XIII. DE SECUNDA

5. TRINITATIS PERSONA, NEMPE DE DEO FILIO.

A Vdjuistis nuper, Auditores optimi, de prima *Repetitio*
 in sacrosancta Triade persona, nēpe de Deo *brevis præ-*
 Patre, quidnam scilicet ac quomodo de ipso crede- *cedentis con-*
 re sentireq; nos Catholicè oporteat. Audiuistis au- *cionis.*
 tem exertè, esse illum natura patrem Domini no-
 stri Iesu Christi, vt quem ante secula ineffabili
 profus modo & consubstantialē & coæternum
 sibi genuerit: adoptionis verò gratia, eundem &
 nostrum esse patrem, quippe quos progenuerit per
 filium suum & Spiritum sanctum (intercedente ve-
 ra fide) in spem viuam, in hæreditatem inquā im-
 mortalem ac immarcescibilem, cōseruatam in cœ-
 lis erga nos. Accepistis item, omnia eum posse vni-
 co nutu, & in cœlo & in terra. Didicistis deniq; cœ-
 li terræq; ac omnium in his contentorum, tam vi-
 sibilem quàm inuisibilem, ipsum esse creatorē:
 imò non creatorem modò, sed & gubernatorem,
 altorem ac conseruatorem.

Cæterum nunc de secunda porrò persona, de
 Deo nempe Filio, audietis: ecquid videlicet de hoc
 iuxta fidem nostram catholicam sentiendum no- *Concionis*
 bis sit. Atque hinc de reparatione seu redemptione *huiusce ar-*
 nostri tractabitur, quemadmodum in parte pri- *gumentum.*
 ma de nostri creatiōe certiores facti sumus. Qua-
 re & moneo & obtestor vos omnes, vt in audien-
 da re tam omnibus modis salutifera longè fitis at-
 tentissimi.

Ita igitur secunda Symboli pars iniriò habet: Et

in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum.

Hic in ipso statim ingressu declaratur nobis, quisnam sit Deus filius, quem pro secunda persona apprehendere fides nostra debeat: nempe Iesus

*Christus cur
dicatur filius
unicus.*

Christus Nazarenus. Dicitur autem is filius Dei vnicus, aliorum hominum piorum respectu. Nam & dicuntur & sunt ij quoq; Dei filij, quemadmodum satis iam edocti estis: verum adoptiui duntaxat, ex mera nimirum gratia assumpti à Deo Patre in filios, idq; adeò propter vnicum illum filiù Iesum Christum: at Christus hic naturalis est filius Dei, solus videlicet ab æterno à Patre genitus, solusq; huic consubstantialis, coequalis ac coæternus, splendor paternę glorię, expressa imago substantię eius, portans moderansq; omnia verbo virtutis suę, quem constituit pater heredem omnium, per quem secula etiam condidit. Heb. 1. Col. 1. Ioan. 1. in quo vno vnicè sibi complacitum est. Mat.

*Christus cur
dicatur Dominus.*

3. 17. Dicitur verò idem filius, etiam Dominus: quòd (ceu iam iam audiuiamus) constitutus sit à Patre hæres omnium, in omnibus primas tenens, caput omnis principatus ac potestatis, moderansq; omnia potentia sua & in cælo & in terra. Coloss. 1. 2. Matth. 28. Cæterum in primis noster (hoc est, credentium) Dominus est: idq; cum, quòd emerit nos sibi pretio magno, tum, quòd omnis ipsius potestas nostro vnicè commodo seruiat. Atq; hæc de Dei filij diuinitate summaq; potentia breuiter dicta sint. Nam & in Cõcione superiori de eadem non pauca omninò adduximus.

Sequitur igitur in Symbolo: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad d-*

*natam Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare
vivos & mortuos.*

In his verbis docemur, Dei filium Iesum Christum non verum duntaxat esse Deum, sed & verum simul Hominem: non autem Hominem ab æterno, vti ille Deus ab æterno est, natus ante secula: sed Hominem in tempore, in seculo ab Homine natum. Ecquid verò Deus Pater hunc filium suum vnicū ante secula ex sese gignere voluerit, nō nostrū est disquirere, exceditq; captum nostrū: At quid idem filius factus sit & Hominis filius, hoc est, humanā nostram naturam assumpserit, id scire omnium nostrum interest, inque eo religiose peruestigando haud sanè peccabimus. Hæc autem causa est. Prothoparentum nostrorum transgressione vsque a deo vniuersum genus humanum: & in peccatum & in Sathanae tyrannidem & in mortem æternam prolapsam erat, vt nulla omninò penes quenquam hominū (quamlibet alioqui iustum) inueniri posset liberatio, sed omnia indies in peius vergerent. Etsi verò Deus Opt. Max. & impense & iure sanè optimo succensuit inobedientibus, subinde tamen (vtpote benignissimus Pater) in ira misericordiæ suæ recordatus est, noluitque perire æternū quos ad imaginem suam condiderat, ideoque ab initio statim ac deinceps dedit transgressoribus spem Liberatoris futuri: veluti Gene. 3. vbi pollicitus est, semen mulieris contritūrum Serpentis caput. & Gene. 22. vbi Abrahæ promisit, in semine ipsius benedictum iri omnes cognationes terræ: item Deut. 18. vbi Liberatorem illum ex ipsis Iudæis proditūrum esse recepit. Postremò Esa. 7. 11. Ierem. 23. Ezech. 34. Psal. 131. vbi aperte habetur, ex Dauidis progenie nascitūrum eum,

Christus verus Deus & verus homo.

Christus Dei filius, cur & hominis filius factus sit

adeoq; ex virgine nasciturum. Quum itaque appetisset iam tandē plenitudo temporis, tēpus inquā miserendi, misit vnigenitum filium suum in mundum hunc, vt is (assumpta nostra vera humanitate) redemptionem humanam operaretur, hoc est prolapsos erigeret, perditos requireret, mortuos ad vitam amissam reuocaret. Si cui autem mirum videatur, quare nā Pater cœlestis non Angelum quempiam miserit, sed peculiariter Filium: quum item hunc fieri hominem voluerit, nobis consubstantialē, nostræq; consortem infirmitatisis causam incitantem breuiter audiat, & causam quidem longē euentissimam iuxta ac verissimam. Mediatorē nempe intercedere oportebat inter Deum iratum & Homines, iram suppliciumq; commerticos. Vt verò mediatio huius esset & corā Deo efficacior & erga Homines feruentior, vtriusque ipsum naturæ esse conueniebat, diuinæ nimirum pariter & humanæ. Atqui huc accessit & illud, quòd nemo omnium posset expiare peccata, nisi solus Deus: at nemo contrā satisfacere pro iisdem deberet, nisi Homo. Nam peccatum infinitū non nisi à persona infinita poterat tolli: & quia peccauerat homo, hominem etiam satisfacere æquum fuit. Hac ergo de causa Dei filius, & Hominis filius factus est: quò sic videlicet & Deo ipsi absolutè satisfieret, & nihil haberet calumniæ Sathan. Atque vt omnes initio statim operis huius præmaximi certiores in illo redderentur, duplex obtigit ei nomen. Vocatus enim est & Iesus & Christus: Iesus quidem, hoc est, salutaris seu seruator, quòd saluum esset facturus populum suum à peccatis suis: Christus autē, hoc est, vnctus, æternus & Sacerdos & Rex, quòd se metipsum pro nobis oblaturus, inq; regnum suum

cœle

*Dei filius
cur duplici
nomine Ie
sus & Chris
tus vocatus*

celestē saluaturus nos esset. Matth. I. Ephes. 5. 2.
Timoth. 4.

Cāterū conceptus natusq; est iuxta humanitatem Dei filius, non aliorum more hominū, hoc est, ex virili semine, ac matre corrupta: sed de Spiritu sancto conceptus est, id est, nō de Spiritu sancti substantia, sed diuina huius opera & virtute: natusq; est ex Maria virgine, virgine inquam longē purissimā intactāq; atq; ex eius adeō substantia, hoc est, carne (vt ita dicam) ac sanguine. Nam impijssimē hallucinantur, imō horrendissimam committunt blasphemiam, qui Spiritum sanctum faciunt illius patrem, nihilque prorsus ex Maria sumpsisse eum sentiunt: quemadmodum & ij simi li tenentur impietate, qui sic verbum Dei (eundē inquam Dei filium) carnem factum esse volunt, vt mutata omninō sit in carnem seu humanitatem diuinitas ipsius, vtq; deserit proin esse quod erat. Elegit autem sibi Christus conceptionē ac natiuitatem tam modis omnibus singularem sanctamq; & puram, vt mundus esset à peccatis. Qui nanque alios liberatum à peccatis venerat, ipse nullum debebat peccatum habere: quod habuisset profectō, si vulgari carnaliq; modo conceptus & natus fuisset. Interim tamen & hac de causa sic conceptus natusq; est, vt impuram nostram conceptionem ac natiuitatem expiaret.

Nō verò in eo redemptionis nostri opus desijē, quod verē pro nobis Christus factus est homo: sed & passus est idem pro nobis, crucifixus item, mortuus, ac sepultus. Ob id ille (ceu diximus suprā) in mundum hūc & missus à Patre erat, & vtrō etiam venerat, vt exolueret pro nobis, quod nos debebamus, cuiq; tamen exolueno eramus omninō im-

*Christi cono
ceptio atque
natiuitas.*

pare;

Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
SANDOMIERSKIEGO

Commeritas pares. Quum ergo nos commeruissemus passionē
nostras pas- omīgenas, ipse omneis has in sese pro nobis susce-
iones Chri- pit, vincula, irrisiones, alapas, flagella, verbera, cō-
phus in sese uitia, horrendissimum deniq; iuxtā ac ignominio-
suscepit. sissimum crucis supplicium. Quum item nos mor-
Christus pro tem sepulturamq; commeruissemus, non tempora-
nobis et mo- lem duntaxat, sed & æternam: ipse pro nobis mori
ri et sepeliri ac sepeliri dignatus est, suaq; passione, morte & se-
dignatus est pultura expiauit ac sepeliuit omnia nostra pecca-
 ta, nosq; à cruciatu ignominiaq; & morte perenni
 adseruit. Etsi autem neminem vestrum de hisce vel
 tantillum addubitare credo, adducam tamen ali-

Antedictorū
confirmatio
ex sacris li-
bris.

quot (eaq; præcipua) sacræ scripturæ testimonia,
 quò sic videlicet omnia & certiora & euidentiora
 fiant. Ita igitur primò inqt D. Paulus Rom. 4. Chri-
 stus traditus est propter delicta nostra. & 5. Com-
 mendat aut charitatem suam Deus in nobis, quo-
 niam quum adhuc peccatores essemus secundum
 tempus, Christus pro nobis mortuus est. Multò igitur
 magis nunc, iustificati sanguine ipsius, salui e-
 rimus ab ira per ipsum. item 2. Corinth. 5. Eum
 qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum
 fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. & Ga-
 lat. 3. Christus nos redemit de maledictō legis, fa-
 ctus pro nobis maledictum: adhæc 2. Timoth. 1.
 Qui destruxit quidem mortem, illuminauit au-
 tem vitam & incorruptionē. præterea Tit. 2. Qui
 dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab
 omni iniquitate. Denique Heb. 2. Quia ergo pueri
 communicauerunt carni & sanguini, & ipse (Chri-
 stus) similiter participauit eidem: vt per mor-
 tem destrueret eum qui habebat mortis imperiū;
 id est, Diabolum: & liberaret eos, qui timore mor-
 tis per totam vitam obnoxij erant seruituti. & ibi-
 dem

dem cap. 9. Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? Sic verò & Petrus ait 1. Pet. 2. Christus peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis. & cap. 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. Sic denique Ioannes etiam scribit 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. & cap. 2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Sed veniamus iam & ad Christi Descensum ad *Christi de* inferos ac sequutam Resurrectionē. Posteaquam *scensus ad* ille mortem in cruce pro nobis oppetisset, descen- *Inferos, eius* dit mox anima eius ad inferos: non, vt ibi quippi- *demq; Resur-* am pateretur (nā in cruce omnis ipsius passio consummata est) sed, vt Sathanam cum omnipotentia & sibi & omnibus in se credentibus subijceret, eius inquam ac inferorum tyrannidē nobis frangeret, adeoq; p̄os patres inibi detentos potenter erueret. Osee 13. Zachariæ 9. Ephesios 4. 1. Petri 3. Non mansit verò diu in inferno, quatenus nimirum impossibile erat teneri illum ab eo. Acto- rum 2. Psalmorum 15. sed redijt anima eius inde in corpus suum demortuum sepultumque, excitauitque illud iuxta diuinam suam potentiam

tiam die statim tertia: ita, vt è clauso sepulchro rediuius prodierit totus Christus, victor inuictissimus & peccati & Diaboli & Mortis & inferorum, adeoque declaratus filius Dei cum potentia. Nam quemadmodum ipse antè, cum argumentis alijs, tum passione præsertim ac morte sua, sese verum hominis filium & hominem mortalem declarauit: sic videlicet in sua resurrectione se verè Dei filium declarauit, ac immortalem. Qui enim deuicta morte reurgit, mortalis esse non potest: qui item sua ipsius resurgit virtute, is non merè esse potest homo, sed Deus sit necesse est. Non solum autem vera eius diuinitas & immortalitas ex resurrectione ipsius astruitur confirmaturq; sed & verè nostri redemptionis inde certiores reddimur. Si enim in morte ac inferno mansisset ille, essemus adhuc in peccatis nostris: 1. Corinth. 15. incerti nimirum, verène ipse peccata nostra expiasset, ac à Sathanae mortisque & Inferorum nos adseruisset tyrannide, an non. Verum quia resurrexit, & solus quidem resurrexit, hostibus interim omnibus præstratis: sumus longè certissimi, verè nos ab ipso liberatos esse, reconciliatosq; Deo, & iustificatos: atque hinc Paulus confidenter ait Rom. 4. Christus resurrexit ad iustificationem nostram: ideoq; & Petrus testis est, benè respondere conscientiam bonam apud Deum per resurrectionem Iesu Christi, hoc est, paratam ac tutam esse coram Deo. 1. Pet. 3. Cæterum alius adhuc est resurrectionis Dominiæ fructus, nempe, futura corporum nostrorum resurrectio & immortalitas. Si nanque credimus (vt Paulus 1. Thoss. 4. inquit) quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Et sicut in Adam omnes mori-

Christi resurrectione reddimur nostra redemptionis certi sumi.

Alius Resurrectionis Christi fructus, nostra scilicet resurrectionis & immortalitas.

moriuntur, ita & in Christo omnes vltificabuntur. I. Corinth. 15. nam reformabit is corpus humilitatis nostræ, cōfiguratum corpori claritatis suæ. Philip. 3.

Porro autem, vt pergamus nunc & ad reliqua: non manfit à resurrectione sua Christus corpore ipso visibili hisce in terris; sed (posteaquam per dies quadraginta Discipulis apparuisset, varijsq; ac certissimis argumentis suam resurrectionem apud eos confirmasset) ascendit ad cœlos demū, ad Patris dexteram, vbi & etiamnum sedet. Adscendit verò, non secundum deitatem ipsam, vt quæ semper in cœlo erat, imò & vbiq; locorum: sed secundum humanitatem ascendit, hominem videlicet assumptum subducens eò, vbi is antè non fuerat, vnde nec descenderat idem. Nam descendit quidem de cœlo Dominus, sed sola diuinitate, minime verò humanitate ipsa. Ioan. 3. Ascendit autem ad cœlos, sedetq; ad dextram Dei Patris omnipotentis: primò vt Paracletum Spiritum sanctum, spiritum inquam adoptionis filiorum Dei, suis impetraret ac mitteret. Ioan. 16. Ephē. 4. secundò, vt spem nobis daret eodem se sequendi, quò ipse nos præcessit. Ioan. 16. 17. tertio, vt ibi nunc appareat in conspectu Dei pro nobis, pro nobis inquam interpellat, patronumq; seu aduocatum apud Patrem agat. Rom. 8. Heb. 7. 9. I. Ioan. 2. Dum verò illum ad dextram Dei Patris sedere audimus, nequaquã humano sensu ea sessio nobis accipienda est: sed statueret nos oportet, ipsum (iuxta humanitatem etiam) in æquali esse cum Deo & honore, & regni cœlestis consortio, & potestate. Act. 7. Ephē. 1. Phil. 2. Col. 2. gubernareq; proin omnia, tum in cœlo, tum in terra;

Christi ad cœlos ascensio.

Ascensio Christi ad cœlos, causa tres.

I.

II.

III.

Sessio Christi ad Dextram Dei Patris.

Christi rediens in seculi huius fine. At idem ille Christus, qui adscēdit supra omnes cœlos ac omnia implet, rediturus inde est in seculo huius fine: & rediturus quidem in ea forma qua

Extremis iudicium.

ascendit olim, nimirum in vero suo corpore humano omnibus æquè hominibus conspicuo, sed glorioso, fulgido, atq; immortalis. Veniet autem, non solus & humilis uti antè, sed Angelis constipatus, cumq; potestate & maiestate magna: & eum veniet in finem, ut mortales cunctos (tum qui viui adhuc in ipsius aduentu deprehenduntur, tum qui ab Adam in eum vsque diem fuere defuncti, & tunc in momento oculi reuiuifcent) coram se congregatos ac in duas turmas separatos iudicet, hoc est, pro meritis diuersis vel saluet vel condemnet æternum, pios quidem ad regnum suum cœleste perpetuò possidendum inuitet introducatq; & impios verò flammis cruciatibusq; infernalibus nullo vnquam tempore aut finiendis aut mitigandis mancipet. Matth. 25. Lucæ 21. Ioan. 5. 1. Corinth. 4. 2. Corinth. 5. 1. Theff. 4. Apocalyp. 20.

Extremis iudicii dies ignoratur.

Atque hæc omnia, ut verè, ita & in puncto temporis gerentur: & eo sanè die, quem ignoramus, imò quo non putabimus. Matth. 24. Lucæ 12. 1. Theff. 5. 2. Pet. 3.

Hicce iam secundæ huius Symboli nostri partis præcipuis capitibus utcunque pro nostro modulo explicatis, debebat statim ipse quoque vsus salutifer à nobis addi: Verùm quia præter spem prolixior facta est Concio nostra, ne igitur diligentiam vestram nimium onerare videamur, in proximam nostram Homiliam illum reijciemus. Vos interim, quæ accepistis in præsentiarum, ad fidei nostræ sanctissimæ confirmationem, & retinetis & subinde expendite.

CON-

SYMBOL. APOST. 109
 CONCIO XV. DE VSV FI-
 DEI IN CHRISTVM.

Meministis haud dubie, fratres sororesq; cha-
 rissimi, quidnam me in Concione hodierna
 tractaturum pollicitus sim: nempe vsum verum
 primumq; eius partis Symboli nostri, quam de Dei ac
 Homini filio Iesu Christo Domino nostro pro-
 ximè explicauimus. Dum igitur ego promissis hu-
 iusmodi stare satisfacereq; pro virili conabor, vos
 non animos segniùs atque aures ipsas omnes pre-
 cor arrigite.

*Vsus salutis
 ris secunde
 partis Sym-
 boli de Dei
 ac hominis
 filio Iesu
 Christo:*

Principiò itaque, quotiescunq; secundum hoc
 Symboli Apostolici caput expendimus, non satis
 nobis esse debet, historicam duntaxat adferre fi-
 dem, hoc est, credere quòd & omnia & singula (de
 Christo hìc prædicata) vera indubitatisimaque
 sint. Nam eatenus certè non fuerit fides nostra me-
 lior, atque ea quàm Dæmones habent. Credunt e-
 nim ij abundè satis, Iesum Christum esse filium
 Dei vnigenitum. Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8. Act. 19.
 Credunt & hunc verè esse conceptum, natum, pas-
 sum, crucifixum, mortuum, ac sepultum: credunt
 item, & adeò quidem vt contremiscant, descendisse
 se eundem ad inferos, resurrexisse à mortuis, ad-
 scendisse ad cœlos, sedere ad Dei Patris dexteram,
 iudiciumq; deum redditurum. Nec fide tamen hac
 iustificantur, quantumlibet etiam & contremis-
 cant & ad nomen eius sanctissimum incuruentur:
 Iacob. 1. Philip. 2.

Verùm nos credere insuper necesse est, nobis
 ac nostræ salutis ergò filium Dei factum esse Ie-
 sum Christum, hoc est, hominem verum, li-
 beratorem, Sacerdotem, & regem: nobis illum

*De Christo
 Iesu que no-
 cessario nos
 bis credendū
 sint.*

esse conceptum, natum, passum, crucifixum, mortuum, ac sepultum: nobis deniq; descēdisse ipsum ad inferos, resurrexisse à mortuis, adscendisse ad cœlos, sedere ad dexteram Dei Patris, rediturumq; in seculi fine Iudicem.

- Christus cur descenderit de cœlis.* Hoc est, plena constantiq; fiducia credamus oportet, quod propterea ille descenderit de cœlis, ut nos ad cœlos subueheret: propterea factus sit homo, ut nos diuinæ suæ confortes faceret naturæ, Dei inquam filios, suosq; fratres ac cohæredes: propterea sine peccato omni conceptus natusq; sit, ut impuram damnatamq; ac peccatricem nostram conceptionem & natiuitatem purgaret, nosque in Spiritu sancto regigneret: propterea sit crucifixus mortuusq; & sepultus, ut liberaret nos & à peccatis nostris omnibus & à legis execratione & à morte pœnæque æterna: propterea ad inferos descenderit, ut Diabolum nobis vinceret, nosq; & pios omnes à portis à cruciatibus inferi eriperet: propterea resurrexerit à mortuis, ut longè certissimos nos de vera nostri à Sathana morteq; & inferis liberatione redderet, ut iustificaret item nos ac in spem regeneraret viam, ut deniq; & certam nobis resurrectionis veræ corporum nostrorum fidē faceret: propterea adscenderit ad cœlos & confederit ad Patris sui dexteram, ut cœlū antè clausum aperiret nobis, Spiritum sanctum inde nobis mitteret, pro nobis etiamnum interpellat ac fidelem apud Patrem aduocatum agat, omnes nos regat & defendat, adeoq; omnia gratia sua ac spiritu impleat: propterea denique reuersurus sit tandem Iudex viuorum & mortuorum, ut nos piosq; omneis & à morte corporali & ab omnibus alijs calamitatibus eruat, in regnum suum cœleste subuehat,
- Christus cur reuersurus Iudex viuo-*

hat, ibiq; plena aeternaq; coronet felicitate ac gloria. Quum verò tantam omninò salutis omnium *rum & moru-
tuorum.* getem in illo expositam habeamus, par profectò *Christus scio-
est, & exigitur quidem exerte à nobis, vt omnem e-
lus nostra.* tiam spem consolationemq; nostram in ipsum v- *In Christo*
nicè collocemus, ad ipsum item in quibuscunq; no- *spes omnis*
stris angustijs ac malis tanquam ad sacram ancho *nostra & cõ-*
ram confugiamus, inq; ipso vno gloriemur & re- *solatio colle-*
quiescamus perpetuò: dicentes nimirum cum Pau- *canda.*

lo Rom. 8. Deus proprio etiam filio suo non pe-
percit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quò
igitur fieri potest, vt non & cum eodem omnia no-
bis donet? Quis accusationem intentabit aduersus
electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis est, qui
condemnet? Christus Iesus est, qui mortuus est,
imò qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei,
qui etiam interpellat pro nobis. Vide: Sic compa-
ratam fidem nostram esse oportebit, si quidem de
vera gloriari velimus. Nam ad hunc modum neq;
Dæmones neq; inijpii credunt, aut credere possunt.

Sed vt rotunda absolutaq; & verè viuua sit fides *Vera, absolute*
nostra, aliud adhuc accedat oportet: nempe, in se- *ta, viuuaq; fide-*
quitio spiritualis vestigiorum Christi. Nam reli- *des,*
quit is nobis exemplum (Petro teste) vt vestigia ip-
sius insequamur. 1. Pet. 2. Quemadmodum igitur il-
le, quum in forma esset Dei & Deo æqualis, semet-
ipsum exinanijuit ac humiliavit, homo factus, ser-
uicij formam accipiens: ita & nos, quantumuis eti-
am vel sanctitate vel honore simus conspicui, exi-
nanare demittereq; tamen nosmet & sub potenti
ipsius manu & erga omnes homines debemus. Phi-
lip. 2. 1. Pet. 5. Rom. 12. Matth. 11. 18. Luc. 21. Quemad- *Christi exco-
emplo nosse
metipso huius
miliare &
demittere
conuenit.*
modum item Christus pro nobis passus & crucifi- *Christi exco-
emplo nosse
stus est: ita & nos in ipsius gratiã afflictiones qual-* *stiones*

*quaslibet
ferre decet.*

*Vti Chris-
tus mortuus
ac sepultus
est, ita &
nos peccatis
omnibus mo-
ri debemus.
Resurrectio-
nis Christi
exemplo, nos
à morte pec-
cati ad iustit-
iam vitam re-
surgere debe-
mus.*

*Quemadmo-
dum Chris-
tus ascendit
ad celos, ita
& nos supera-
na querere
oportet.*

*Fides verè vi-
ua, iustifica-
tionisq; nos-
træ causa
finalis quæ.*

libet innocenter patienterque ferre decebit. 1. Petri 2. 3. Quemadmodum ille & pro peccatis nostris & vitæ mortali mortuus est ac sepultus: ita & nos mori sepeliri que debemus indies magis ac magis, sed veteri homini, antea estæ vitæ, carnalibus concupiscentijs & operibus, impietati omni. Rom. 6. Ephes. 4. Galat. 5. Tit. 2. imò vti ille animam suam pro nobis posuit, ita & ipsi animas (nedum bona nostra) in discrimen mortis pro fratribus adducere debemus. 1. Ioan. 3. 2. Corinth. 12. Ad hæc verò quemadmodum idem Seruator noster à mortuis in vitam immortalem resurrexit, non vltimè morti obnoxius: ita & nos à morte peccati ad iustitiæ debemus resurgere vitam, inque hac & persequere & progredi perpetuò, nequaquam verò in iniustitiam pristinam (ceu canis ad vomitum) relabi. Rom. 6. 1. Pet. 4. 2. Pet. 2. Quemadmodum denique ille ascendit ad cælos: ita & nos spiritualiter nunc ad cælos ascendere, hoc est, querere sapereque superna, cælestem in terris traducere conuersationem, cupereque dissolui & esse cum Christo oportet. Coloss. 3. Philip. 1. & 3. vt videlicet, vbi thesaurus noster est, ibidem sint & corda nostra. Matth. 6. En: Sic credere in IESVM Christum, sic inquam in fiducia meritorum ipsius pro virili omni imitari ipsum, verè viua ac iustificans fides est, est & iustificationis nostri causa finalis: iuxta illud Pauli 2. Corinth. 5. Charitas Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. & illud item Tit. 2. Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus: erudiens

diens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Vt verò sollicitius impensiori que studio finali huiusmodi causæ respondeamus, meminerimus semper venturi iudicis. Nam redditurus is est unicuique, non iuxta nudam fidem, sed secundum opera: his quidem, qui perseuerant in benefaciendo, gloriam que & honorem ac immortalitatem quarunt, vitam æternam: ijs verò, qui obtemperant iniustitiæ, perpetrant malum, charitatem que negligunt, iram, afflictionem, anxietatem, & ignem æternum. Rom. 2. Matth. 25.

Quapropter toto huc conatu enitamus, vt vestiti, non nudi inueniamur: vt inquam, siue domi præsentés, siue foris peregrè agentes, placeamus illi, immaculati que & incontaminati in pace reperiamur ab eo, cum que timore ac tremore nostram ipsorum salutem operemur, semper & vigilantes & sobrii & orantes. 2. Corinth. 5. 2. Pet. 3. Philip. 2. 1. Pet. 5. Lucæ 21. quò sic videlicet stare nobis liceat ante filium hominis, vt que integer spiritus noster & anima & corpus sine querela conferuetur in aduentu eiusdem Domini nostri Iesu Christi, cui laus in omne æuum. Lucæ 21.

1. Theß. 5.

*Quo pacto
iustificatiõne
nostræ causæ
finali respon
dere possi
mus.*

*Christus red
dit unicuique
non iuxta
nudam fidem,
sed secundum
opera.*

Epilogus.

110 CONCIO XVI. DE
CONCIO XVI. DE TERTIA S.
TRINIT. PERSONA, QVAE EST
SPIRITVS SANCTVS.

IN duabus proximè habitis Concionibus de se-
cūda Symboli parte iuxta mensuram gratiæ di-
uinitus nobis donatæ egimus: & in hunc quidem
de ea egimus modum, vt declarauerimus ordine
simul ac quo licuit compendio, verè & Deum & Ho-
minem esse secundam S. Triadis personam Iesum
Christum, per hunc vniuersum hominum genus
& assertum esse ab æterna perditione, & restitutū
contrā vitæ salutiq; immortalī, ideoq; in ipsum v-
num spem ac consolationem omnem vnicè esse
collocandam nobis, quin & conformes nos eidem
pro nostro modulo fieri oportere.

Cæterum superest iam tertium adhuc Symboli
caput, in quo cum primis de persona tertia (nimi-
rum, de Spiritu sancto) egregiam confessionem
habemus. De eo itaq; agemus in præsentiarum,
quantum præsertim afflatus eius diuinus inspira-
re nobis dignabitur. Vos interea, Auditores pie-
tissimi, solita nobis adestote animaduertendi ala-
crite.

Sic ergo tertia Symboli Apostolici pars (vti no-
stris) verbatim habet: *Credo in Spiritum sanctum: san-
ctam Ecclesiam Catholicam: sanctorum communionem: re-
missionem peccatorum: carnis resurrectionem, & vitam æter-
nam, Amen.*

Multi olim hæresiarchæ vnicè in id incubuerūt,
vt diuinitate exuerent Spiritum sanctum, creatu-
ramq; ex illo facerent, quemadmodum & hodie fa-
natici quidam spiritus, errores consopitos reuo-
cantes ab inferis, eundem personam esse certam ne-
gare

gare sunt ausi. Verum nos & hisce Symboli verbis & sacrarum literarum testimonijis apertissimis suffulti, longè aliter ac religiosius de illo sentiamus. Habemus inquam pro indubitatisimo, esse Spiritum sanctum & verè distinctam personam, & vnum verumq; cum Patre ac Filio Deum, vtriq; per omnia consubstantialiam atq; coæqualem, adeoq; & coæternum. Nam verè certam distinctamq; illi esse personam, satis ac super mandatum illum Domini ad Discipulos euincit, Matth. 28. in hæc proditum verba: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* item promissio illa eiusdem, Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* & Ioan. 15. *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, &c.* Quod verò idem Spiritus sanctus seu Paracletus verè etiam Deus sit, affatim ex effectibus, quos ei tribuunt sacræ literæ, constat. Dicit nanque Dauid Psal. 32. *Spiritu oris Domini omnis cælorum virtus firmata est:* & Psal. 104. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* dicit & Sapiens Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Atque his Paulus etiam subscribit, sic inquit 1. Corinth. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei:* & 1. Corinth. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Hic audimus nimirum, Spiritum sanctum esse creatorem, replere & continere omnia, omnia scrutari ac operari: qui sanè effectus minimè illi tribuerentur, si non verè esset Deus. Non enim Deus alteri suam patitur dari gloriam. Esa. 41. *vt cuius vnus sit, omnia creare,*

Spiritus sanctus verè distincta persona.

Spiritus sanctus verè Deus.

Vnus dictio replere, continere, scrutari, operari, & in cælo &
num spiritus in orbe terrarum. Sciendum autem est, nomenclaturam
 seu cognominationem spiritus, omnibus
 & *sancti cõs* quidem personis iuxta naturam diuinam esse com
 & *diuinitim* munem, quemadmodum & sancti: verum quum
 & *diuissim.* tertiam hanc personam propriè designamus, con
 iunctim semper dictionem vtranque efferendam

Spiritus san- esse nobis: vt dicamus scilicet, Spiritus sanctus, seu
cti epitheta. Spiritus Dei, Spiritus Christi, Spiritus veritatis,

Apparitiõ
Spiritus san- Spiritus sanctificationis, item Paracletus. Nam
 & *cti in specie* hæc epitheta soli personæ tertix, non verò pri
 & *visibili vt in* mæ aut secundæ competunt. Quoties verò vel le
 & *celligenda.* gimus vel audimus, apparuisse Spiritum sanctum
 in specie quapiam visibili, nempe columbæ seu
 linguarum ignitarum: non putare debemus, eam
 speciem fuisse aut etiamnum esse ipsam Spiritus
 sancti substantiam, sed veluti vestem ac adum
 brationem. Quum enim diuinam maiestatem fra
 gilitas humana ferre nequeat, vestit Deus diuinã
 humanis, inuisibilia visibilibus, insensibilia sen
 sibilibus, & obiecto videlicet argumento & no
 stro captui congruentibus. Sed dixerit quispi
 am: Ecquid Spiritui sancto tam exertè sancti tri
 buitur vocabulum seu cognomentum? Id effectum
 nempe gratia fit, quos ille operatur. Dicitur
 enim Sanctus, quòd sanctificet seu iustificet:
 quemadmodum Spiritus dicitur, quòd afflatu
 suo inuisibili viuificet. Cæterum quomodo &
 sanctificet & viuificet, ordine nunc audiemus.

Spiritus san-
 & *cto cur san-*
 & *cti cognõ*
 & *men attri*
 & *buatur.*

Spiritus san-
 & *cti sanctifis*
 & *tatio viuifis*
 & *itio q.*
 Primò quidem sanctificatione viuificationeque
 sua vtitur Spiritus sanctus in hoc, quòd sanctæ
 Ecclesiæ Catholicæ nos inserit, quæ cœtus propriè
 est verè in sacram Triadem credentium & vi
 tam in fide agentium sanctam innocentemque.

Nam

Nam in hoc cœtu simus oportet, ni perire a ter-
 nūm velimus. At nemo in eo esse, hoc est, credere
 & sanctè viuere potest, nisi Spiritus sancti gratia
 ac dono: iuxta illud 1. Corinth. 12. Nemo potest di-
 cere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Ut
 autem articulum hunc de sancta Ecclesia Catho-
 lica, quam credere iubemur, in qua & esse manere-
 que nos omnes necesse est, rectius intelligatis: ex-
 plicabimus breuiter, quidnam Ecclesia ipsa in ge-
 nere sit, quomodo ea consideretur, & quid epithe-
 ta illius sibi velint. Est igitur Ecclesia, concio Cre-
 dentium seu Christianorum omnium, quotquot
 horum aut fuerunt olim, aut etiamnum sunt,
 aut post ad extremum vsque iudicium erunt in v-
 niuerso mundo. Hæc iam Ecclesia, vnica re ipsa
 est: verū consideratione est ea duplex, Trium-
 phans scilicet seu Ouans, & Militans siue Ca-
 strens. Triumphans quidem, est cœtus ille bea-
 torum, qui triumpharunt & de mundo & de Dia-
 bolo, iamque cum CHRISTO securè & æ-
 ternū in cœlo regnant: in quo nimirum sunt
 & Angeli ipsi. Militans autem, illa Credenti-
 um collectio est, qui in terris adhuc agunt, cum
 que carne, mundo & Sathana quotidie habent
 conflictum. Biphariam verò consideratur hæc
 Primò videlicet ita, vt congregatio sit omnium
 illorum, qui vera viuæque in CHRISTVM
 fide sunt præditi, ac Spiritus sancti ductu vi-
 tam agunt professione Christiana dignam: quæ
 concio, inuisibilis seu spiritualis Ecclesia di-
 citur, ad prædestinatos propriè pertinens, soli-
 que DEO cognita. Deinde verò sic, vt omni-
 um illorum cœtus sit, qui communionem ha-
 bent, & professionis vniuersi eiusdemque fidei &

*Ecclesia Cæ-
tholica qua.*

*Extra Eccle-
siam Catho-
licam nulla*

est salus.

*Ecclesia in
genere quid.*

*Ecclesia ve-
ripa vnica
est: Considera-
tio est au-
tem duplex.*

I.

II.

*Militans,
Ecclesia mi-
litans etiam
duplex.*

I.

*Inuisibilis,
ad prædesti-
natos perti-
nens.*

SACRA

II.
Visibilis.

Ecclesia visibilis potestas.

Ecclesia cur dicatur sancta.

Ecclesia cur dicatur Catholica.

Ecclesia cur vocetur communio sanctorum.

Ecclesia per Spiritum sanctum & conuenientissimè in Symbolo articulum de Spiritu seruetur, & agit omnia que agit.

Remissionem peccatorum operatur in nobis Spiritus sanctus.

Remissio peccatorum

Sacramentorum & doctrinæ, secundum Catholicam orthodoxamq; & Apostolicam traditionem: quæ nempe collectio, Ecclesia dicitur visibilis, habetq; & bonos & malos permixtos: atq; penes hanc clauces sunt ligandi & soluendi, potestas item castigandorum impœnitentium ac flagitiosorum, vocatio denique seu ordinatio ministrorum verbi, Matth. 13. 16. 18. Ioan. 20. Acto. 13.

Dicitur autem Ecclesia, sancta: quòd sanguine Iesu Christi mundata, perq; Spiritum sanctum sanctificata sit: quòd item sit inuiolabilis, vt cui ne ipsa quidem inferorum portæ præualere vnquam queant. Catholica verò eò dicitur, quòd per vniuersum orbem sit diffusa, vbique gentium & omnibus etiam temporibus eadem persistens fide ac doctrina. Vocatur denique, & Communio sanctorum, quòd in ipsa omnium bonorum spiritualium (precum inquam & benefactorum) communis sit participatio, quodq; & pax ac charitas ibi summa vigeat, idq; membrorum vnus corporis instar. Porò autem, quicquid horum omnium Ecclesia & est & agit, id totum per Spiritum sanctum & est & agit, teste vniuersa Scriptura: vt proin quàm conuenientissimè in Symbolo articulum de Spiritu sancto sequatur de Ecclesia articulus.

Cæterum quod ad Remissionem peccatorum spectat, operatur & hanc in nobis Spiritus sanctus, sicq; secundò sanctificationis & viuificationis suæ vim declarat: vnde nimirum & illum Ecclesia ipsissima omnium peccatorum remissionem vocat. Remittit autem Spiritus sanctus peccata non alibi, quàm in sola Catholica Ecclesia, quippe quæ templum & officina ipsius est: vt proinde neque Iudæi, neque ethnici, neque hæretici, neque

neque schismatici, neque excommunicati, quan- *catorum in*
 diu extra Ecclesiam Christi agunt, possint spem re *sola Catho-*
 missionis peccatorum habere. Nam quemadmo- *lica est eccle-*
 dum, quotquot extra Noë arcam fuisse, perierūt: *sia, non apud*
 ita & quotquot sunt extra Ecclesie communitio- *Schismatici*
 nem, pereant necesse est. Remittit verò peccata Spi- *cos aut here-*
 ritus sanctus per fidem veram & dignum Sacramen- *ticos.*
 torum usum, applicans scilicet per ea nobis om- *Simile.*
 nia mortis resurrectionisque Domini nostri Iesu *Remissio*
 Christi merita: vt proin omnes eos & credere verè *peccatorum*
 & Sacramentis piè vt oporteat, qui ad remissio- *que fiat.*
 nis donum pertingere velint. Porrò quibusnam
 potissimum Sacramentis conferatur ipsa peccato-
 rum remissio, aliàs (aspirante diuino Spiritu) do-
 cebimus: Nunc verò hoc tantum sciamus, & esse
 peccatoribus resipiscens remissionis spem, &
 hanc in sola esse Ecclesia, & contingere per fidem
 in Christum atque Sacramentorum usum.

Sequitur iam articulus de Carnis resurrectio- *Carnis reser-*
 ne. Etsi reuiuiscens corporum nostrorum & *rectione ni-*
 multi olim impugnarunt, & hodie etiam nonnul- *hil certius.*
 li in dubium reuocare non verentur, nobis tamen
 nihil ea certius indubitatusque esse debet, vt quæ
 multis manifestissimisq; in vtroque Testamento *Testimonia*
 testimonijs corroboretur. Vt verò pauca quædam *scriptura*
 adferamus ad fidei nostre confirmationem, sic Da- *re de carnis*
 niel cap. 12. inquit: Et multi de his qui dormiunt *resurrectione.*
 in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æter-
 nam, alij in opprobrium vt videant semper. Sic &
 Christus ipse dicit Ioan. 5. Venit hora, in qua om-
 nes qui in monumentis sunt, audient vocem filij
 Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectio-
 nem iudicij. Et Paulus 1. Corinth. 15. inter multa
 alia, in hunc tandem scribit modum: Nunc autem
 Chri-

Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Item idem 1. Theff. 4. Si enim credimus (ait) quòd Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo. Ex his inquam & alijs locis certissimè constat, yerè resurrectura seu reuictura corpora omnium, & malorum & bonorum. Nam & ideo dormire dicuntur mortui, vt quemadmodum dormientes sequitur experefactio, sic & illorum resurrectionem certò sequuturam credamus; iuxta illud Psalmistæ, Psal. 40. Nunquid qui dormit, non adijciet vt resurgat?

Resurgent autem mortui in die nouissimo seu seculi huius fine, Ioannis 6. in momento, in ictu oculi. 1. Corinth. 15. quum Dominus IESVS primogenitus ille mortuorum, cum iussu & voce archangeli ac tuba DEI descenderit de cælo. 1. The. 4. per operationem diuinam uiuicatoris Spiritus sancti. Ezechiel. 37. Roman. 8. Et resurgent in carne eadem, quam hic circumtulerunt mortales: quemadmodum & CHRISTVS eodem corpore resurrexit, quo mortuus fuerat. Iob 19. Matth. 28. Marc. 16. Lucæ 24. Ioannis 20. 21. Resurgentque immortales omninò ac incorrupti. 1. Corinth. 15. Sed soli pij in gloria seu gloriosi resurgent, vt quorum corpora conformaturus sit Christus corpori suo glorificato. Matth. 13. Philip. 3. attamen uti stella à stella differt claritate, ita & alijs (pro virtutum nempe seu meritorum differentia) gloriosiores in resurrectione erunt. 1. Corinth. 15. Cæterùm ij, qui tum adhuc uiuent,

*Mortui cur
dormire dicuntur.*

*Pro merito-
rum differen-
tia erunt alii
alijs glorio-
siores in cæ-
lis.*

in momento tēporis immutabuntur, hoc est, corruptibilia ipsorum corpora fient subito incorrupta, & mortalia immortalia. Nam immutatio isthæc illis (Theophylacto teste) mortis vice erit.

Verūm audiamus iam porrò Symboli Apostolici epilōgum. Is nimirum vitam æternam nobis pollicetur. Vti Christus resurgens à mortuis, amplius non moritur, sed in æternum viuit: ita & nos omnes, posteaquam resurrexerimus in die nouissimo, immortales perpetuò & erimus & manebimus, nunquam deinceps morituri. At vita illa æterna, de qua hic habemus, æternam in cœlis felicitatem exprimit, solisq̄ue continget pijs, non impijs seu damnatis. Quanquam enim & hi æternū victuri sint, viuent tamen sic, vt immortalitas ipsorum potius mors æterna quàm vita censenda veniat. Nam vt pij in vitam æternam ibunt, ita isti contrā in æternum ibunt supplicium. Matthæi 25. Ioannis 5. Non autem temerè resurrectioni mortuorum subiungitur statim articulus hic de vita æterna. Haud etenim (vt Chiliastræ somniarunt olim) manebunt saluati hoc in mundo à resurrectione ad mille annos, quibuslibet interim mundi voluptatibus hubertim fruituri: sed euestigiò rapiuntur in nubibus in occursum Domini in aëra, cumq̄ue illo in regnum Patris sui cœlestis ingredientur. 1. Thessal. 4. occupabuntq̄ue hæreditatem, cuius Spiritus sanctus hætenus arrhabo, & obsignaculum fuit, incorruptibilem & impollutam & immarcescibilem, conseruatam erga se in cœlis. Ephes. 1. 1. Petri 1. bona inquam & gaudia, quæ nec oculis vidit, neque in cor hominis ascenderunt,

quæ

*Vita æterna
in corpore
extremo
iudicio
conditio.*

Vita æterna.

*Christi exemplo
ubi res
surrexerimus
nunquam
deinceps morituri.*

*Solis pijs continget
vita
æterna.*

*Impiorum
sua
cōditio.*

*Quare
sub
iungitur
Resurrectionis
mortuorum
vita æterna.*

quæ præparauit nimirum Deus diligentibus se. Efa. 64. 1. Corinth. 2. Vbi erit Deus omnia in omnibus, exultabuntq; illi gaudio ineffabili ac glorificato. 1. Corinth. 15. 1. Pet. 1. Vt verò Spiritus sanctus promissæ huiusmodi hæreditatis cœlestis pignus est, ita & eiusdem ductu ad illam pertingemus: quemadmodum Dauid Psal. 143. inquit, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

Ex hisce iam omnibus abundè satis constare cuiq; nostrum potest, quàm verè & sanctificet & viuificet Spiritus sanctus, quàmque meritò pro in ipsum (vt pote verum Deum, vnà cum Patre ac Filio) credendum nobis sit.

Cæterùm de vsu tertij huius Symboli Apostolici capitis, quandoquidem nunc tempus prolixiorrem concionem non patitur, proximè (auctore Christo) dicemus.

CONCIO XVII. DE VSV TERTIÆ PARTIS SYMBOLI.

*Superioris
Concionis
summaria re-
petita.*

Accepistis in Cócione nostra nouissima, quid nam de Spiritu sancto (qui scilicet tertia in Trinitate persona est) sentire nos oporteat, quosque ille effectus & exerat quotidie & exerturus sit ad omnium nostrum sanétificationem iuxtà ac salutem. Nimirum, quòd vnus verusq; vnà cum Patre & Filio Deus sit, ab vtroque perpetuò inseparabiliterq; procedens, vnusq; ac eiusdem planè cū illis essentia, gloriæ atq; potestatis: quòd item sanctam Ecclesiam Catholicam & collegerit & augeat & conseruet, in hac remittat peccata ex animo resipiscentibus, in fine seculi excitaturus sit omnium æquè hominum corpora, iustosq; deducturus in vitam æternam: quodque ob id omnem fiduciam

con.

consolationem ac salutem in ipsum, non minus quàm in Patrem & Filium, collocare vnicè debemus.

Prius verò, quàm ad tertiæ huiusmodi Symbolicæ partis vsum (quæ videlicet distulimus in diem hunc) veniamus, est cuius vos velim admonitos: nimirum, etsi singulis personis singuli peculiare effectus tribuuntur, totam tamen Trinitatem inseparabiliter operari. Nam vt ex Patre omnia, ita per Filium omnia, ita & in Spiritu sancto omnia. Non solus Pater cælum & terram condidit, sed per Filium & in Spiritu sancto condidit ea: Nec solus Filius generis humani operatus est redemptionem, sed & Pater ac Spiritus sanctus cooperati ei sunt: Neque solus Spiritus sanctus sanctificat & viuificat redemptos, inserit nos Ecclesiæ, & mittit peccata, suscitabit corpora omnium, & in vitam æternam pios deducet, verum etiam & Pater & Filius. Ideo autem tribuntur singulæ ac peculiare personis singulis operationes, vt vera illarum distinctio proprietasq; inde deprehendatur, ne confundamus personas. Quin & ordo elegantissimus colligitur hinc. Nam Pater nos creauit, alit, ac conseruat: Filius redemit nos, & reconciliat: ac Spiritus sanctus sanctificat nos, applicat nobis & Patris charitatem & merita Filij, nosq; perfectos reddit. Sub Patre item sumus domestici: sub Filio, filij ac fratres: sub Spiritu sancto verò, hæredes & paternorum & fraternorum bonorū. Quamquam verò & in Concionibus nostris superioribus hæc attigerimus partim, in rudium tamen gratiam repetere ea hinc placuit, ne ij vel personas confundant, vel substantiam separent.

Cæterum ad ipsum iam vsum breuiter accingemur;

*S. Trinitatis
inseparabilis
operatio:*

*Cur singulis
S. Trinitatis
personis, singula
operatio
tribuitur.*

*Repetitio
breuis super
viorum consi-
derationem om-
nium de Sym-
bolo.
Vfus primi
articuli.*

*Audi tu, qui
se spiritum
sanctum habere
gloriaris
vii.*

*Vfus secundi
articuli, qui
est de Eccle-
sia.*

mur. Est itaq; vsus germanus primi articuli, vt quod nobis est fidei, spei, charitatis, viriū spirituum, sanctimonix, humilitatis, patientix, fortitudinis, sapientix, cognitionis diuinæ, consolationis, virtutis deniq; vllius, id totum Spiritui sancto auctori feramus acceptum, non carni & sanguini, hoc est, nobis ipsis aut vlli creaturæ. I. Corinth. 12. Galat. 5. quicquid verò horum nobis deest, id omne à Spiritu sancto & votis ardentibus postulemus & constanti fiducia expectemus: quò videlicet, dum eius in nobis sentimus opera, certiores reddamur, quòd verè simus filij Dei & vitæ æternæ hæredes: iuxta illud Roman. 8. Quicumq; Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem: sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, & cohæredes Christi. Sunt quidem Christianorum plerique, qui se filios esse Dei & habere Spiritum sanctum statuunt, ideoque subinde de Abba Patre gloriantur: verum quia fructibus seu effectibus Spiritus sancti carent, decipiunt se ipsos miserimè. Nam in quibus Spiritus sanctus non agit, ij non habent illum: qui verò illo destituuntur, minimè sunt Dei filij, ideoque nec vitam æternam possidebunt. Nemo ergo frustra sese titillet, quin probè experimentum sui faciat antè quàm gloriatur.

In secundo autem articulo, qui de Ecclesia est, admoneri debemus, vt quando ea Spiritus sancti officina & templum mysticum existit, quum item extra illam non sit salus, & esse verè & perpetuò mane-

manere in ipsa satagamus, nequaquam verò nosmet ab eiusdem vnitāte ac comunione (siue per hæreses, siue per schismata, siue item propter malos antistites, siue propter quosdam irreptos abusus, siue denique propter improborum hominum intermixtionem) separemus aut ab alijs separari patiamur. Nam neq; abusus neq; aliorum improbitas nostræ vnquam salutis oberit, dummodo ipsi piū seruemus vsū, vitæque opēram demus innocentiori: sed quisque suū ipsius onus portabit. Galat. 6. Non satis verò nobis esse debet, neque hæresi neq; schismate diuelli ab Ecclesia: sed & huc incumbamus oportet, ne ob mores nostros sceleratos feriamur Anathemate: eoque vt à falsis ac peruersis in fide opinionibus, ita ab impia etiam vita, scortatione videlicet, incestu, adulterio, furto, sacrilegio, rapinis, ebriositate, homicidio, alijsque id genus detestandis flagitijs summa cura abstineamus necesse est. Nam dediti huiusmodi facinoribus, ceu mortua membra, imò ceu membra contagiosa pestiferaque, à corpore mystico abscinduntur: neque, citra maximam seriamque pœnitentiam, in Ecclesiæ ac gratiæ diuinæ communionem redire possunt. 1. Corinth. 5. 6. 2. Corinth. 2. Verum vt perseverantiùs alacriusque maneamus in Ecclesia, aut certè citiùs ad eam reuertamur, meminerimus ipsam Sanctorum esse Communionem, hoc est, omnia piorum beneficia ac suffragia esse omnibus in illa verè existentibus communia: iuxta illud Dauidis: Particeps ego sum omnium timentium te & custodientium mandata tua. Psal. 118. iuxta item membrorum vnius eiusdemque corporis participatiōnem mutuam. Rom. 12. 1. Corinth. 12. Quod hortatur

Propter abusus, ab Ecclesiæ vnitāte non discedendum.

Aliorum improbitas nostræ salutis nunquam oberit.

In Ecclesiā adhuc conuertitur deus à flagitijs omnibus abstinere.

Abscissi ab Ecclesia non nisi seriam pœnitentiam redire in eam rursus possunt.

Piorum in Ecclesia suffragia ac beneficia omnia esse communia in ea existentibus.

bitur interim nos, vt quemadmodum alij sua nobis cōmunicant, ita & ipsi nostra vicissim per charitatem fraternam comunicemus alijs, nō spiritalia duntaxat, sed & temporalia. Galat. 6.

*Vsus tertij
articuli de
remissione
peccatorum.*

Porro tertij articuli (remissionis inquam peccatorum) vsus verè pius ac salutaris est, vt non credamus solùm remissa nobis iri peccata nostra, per Spiritum sanctum, gratis, meritorum Christi ergo: sed, quando in multis subindè labimur omnes, serió quoq; & semper instrumenta ad acceptandam gratuitam remissionem facientia apprehendamus, agnitionem nempe peccatorum nostrorū, contritionem, cōfessionem, sacramenta, fidem reuerenter constantem, decretum firmum amplius non peccandi, fructus deniq; pœnitentia & decreto huiusmodi dignos. Nam etsi gratuitò remittuntur nobis peccatā propter Christum, non tamen ea sine his (in ætate præsertim adulta) remittuntur, Scriptura teste.

*Vsus articulo-
rum de resur-
rectione
carnis, & vi-
tæ æternæ.*

Quod verò tandem ad duos illos articulos potestimos, resurrectionem nempe carnis & sequentem vitam æternam, spectat: maximam inde capere consolationē pij possunt, qua sese erigant tum in aduersis valetudinibus, tum in alijs afflictionibus quibusuis. Nā quælibet corporis vitia, vt sunt cæcitas, surditas, ablata loquendi facultas, mutilatio membrorum, claudicatio, aut aliæ id genus deformitates vel ex natiuitate ipsa, vel perniciosi morbis contractæ, per resurrectionem generalem profligabuntur, integræq; erunt membra omnia. Afflictiones autem omnes alias & ipsam denique mortem deglutiet præcipitabitq; æternum summa illa inexplicabilisq; vitæ æternæ felicitas, pios manens: iuxta illud Apocal. cap. 21. Abstergeet Deus

Deus

CONC. XVIII. DE ORA. DOM. 123

Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors
ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neque do-
lor erit ultra, quæ prima abierunt. Omnem autem
omnes naueamus gnauiter operam, vt sic viamus
conuersemurq; in peregrinationis nostræ curricu-
lo, quò resurrectione ex mortuis & seculo illo bea-
tissimo digni habeamur, vocemurque ad cœnam
nuptiarum Agni nullo vnquam finiendam tempo-
re. Lucæ 20. Apocal. 19. 20. Id quod efficere in no-
bis dignetur idem Agnus Dei, Dominus & Serua-
tor noster Iesus Christus, cui vnà cum Patre ac Spi-
ritu sancto sit honor, laus & gloria in omne æuum,
Amen.

DE ORATIONE
DOMINICA,

CONCIO XVIII.



O iam deuenimus, laus Deo Optimo
Maximo, vt sciamus, & quid desit no-
bis, & vbinam hoc ipsum quærere no-
oporteat. Nam ex Decalogo sumus e-
docti, in eo potissimum defectum no-
strum consistere, quò Legem Dei transgressi om-
nes hactenus simus, quodq; nostris ipsorum viri-
bus implere illam porro nequeamus, ideoq; bis si-
mus miseri & maledictioni obnoxij. Ex Symbolo
autem didicimus contrà, defectum huiusmodi v-
terunq; tollere & posse & velle Deum Patrem, Deū
Filium, Deumq; Spiritum sanctum: ita, vt is patra-
tas transgressiones misericorditer nobis sit remis-
surus, & gratiam implendæ Legis donaturus.

Hæc verò duo probè habere cõperta, non parui

certè, sed maximi omninò momenti est: id quod vel ex ægroti exemplo facilimè colligere licebit. De isthòc nimirum actum planè est, si aut ægrotare se nesciat, aut non norit medicum se curare potentem volentemq;: contrà verò spes adest futuræ sanitatis, si & morbum suum intelligat, & norit absolutum expositumq; medicum. Ita videlicet & nos ad vnum perierimus omnes, si peccatores nos esse simus in scij, siq; medicum peccatorum nostrorum morbos ac virium impotentiam sanare potentem volentemq; ignoremus: at è contrario spes affulget salutis, si agnoscamus probè & peccata nostra & efficacem peccatorum curatorem.

Maximum igitur & ex Decalogo & ex Symbolo operæpretium sumus consequuti, dum eognitum habemus vtrunq;: & nos inquam egere auxilio, & auxiliatorem præsentaneum esse Deum: nos esse miseros, ipsum verò misericordem, adeoque summè misericordem esse.

Quum itaque (vt diximus) vtrunque habeamus in promptu, reliquum est, vt ipsam etiam viam adeundi Dei auxiliatoris agnoscere porrò discamus: hoc est, quónam pacto possimus delinire illum, vt liberet nos à præuaricationibus nostris, gratiamq; implendæ porrò legis nobis donet.

Oratio.

Hæc autem via primò oratio est, hoc est, eleuatio mentis ad Deum, ac seria nominis ipsius inuocatio. Nam quicumque inuocauerit nomen Dei, saluus erit. Ioel. 2. Roman. 10. estq; propè Dominus omnibus inuocantibus se in veritate. Psal. 144. Quare & D. Iacobus rectè monet: Si quis vestrum (inquiens) indiget sapientia, postulet à Deo: qui dat omnibus, & non impropereat: & dabitur ei.

Non

Non dubium ergo est, quin & nobis idem petita daturus sit, ideoq; & à peccatis nos absoluturus & sanctificationis spiritu donaturus.

Debet autem nos ad Orationem inflammare. I. *Ad orationem necessitas nostra quotidiana.* 2. *expressum Dei mandatum.* 3. *Christi promissio.* In finitis numerum præmimur calamitatibus & corporis & animæ, plurimis contra rebus donisque indigemus. Meritò igitur ad orationem nobis confugiendum erit. Ad hæc verò exercere orationem mandauit Deus, idque cum in præcepto Decalogi secundo, tum alijs multis in locis: Inuoca me (inquit) in die tribulationis, & eruam te. Psal. 49. Iure itaque & hac de causa erit nobis cum primis orandum. Et non parum sanè consolationis mandatum huiusmodi adfert animis nostris, quoties indignitatem nobis nostram Sathan obijcit. Sed præterea pollicitus etiam est CHRISTVS multipliciter, exaudirum iri orationem nostram: sic enim ait Matthæi 7. Lucæ 11. Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Matthæi 21. Marci 11. omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euentient vobis. Ioannis 16. Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Longè igitur magis alacriusque orare nos decebit.

Cæterùm vt exaudiamur certò, rectè pieq; oramus necesse est. Dicit namq; D. Iacobus: Petitis & nõ accipitis, eò qd malè petatis. cap. 4. Vt autè rectè & cù fructu oremus, ante oia peccantibus in nos ignoscamus oportet: iuxta illud Christi Marc. 11. Quò stabitis ad orandum, remittite si qd habetis aduersus aliquè, vt & Pater vester qui in caelis est, dimittat

nem que nos inflammare debeant.

I.

Necessitas nostra quotidiana.

II.

Mandatum Dei.

III.

Christi promissio.

Rectè & piè vt orandum.

I.

Ignoscendum.

II. *Mente nō se-
cūs atque
lingua orant
dum.* tat vobis peccata vestra. Secundò verò tam mente orandum nobis est, quàm spiritu seu lingua: què admodum Paulus inquit 1. Corinth. 14. Orabo spiritu, orabo & mente. Spiritus videlicet Deus est, spiritu igitur & veritate adorari vult. Ioan. 4. rejicitque eos, qui ore appropinquat sibi, corde interim procul remoto. Esaiæ 39. Matth. 15. Attamen verba etiam in oratione adhibenda sunt: iuxta illud Osee cap. 14. Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, diciteq; ei: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum.

III. *Adsit nobis
Dei cultus.* Caterum tertio, Dei nobis cultum adesse necesse est. Nam peccatores (hoc est, impios & impoenitentes) non exaudit Dominus. Esaiæ 1. Ioannis 9. in iustorum verò ac se timentium preces habet aures suas intentas. Psal. 33. 144. Quartò autem verè humiles corde simus oportet. Scriptum enim est

III. *Simus verò
humiles cor-
de.* Psal. 33. Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit, & Psal. 101. Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. Porrò quinto, fide fiduciaq; indubitata orandum nobis est. Accedentem enim ad Deum oportet credere. Heb. 11. & credere quidem, cum quòd possit, tum quòd velit exaudire ac opem ferre. Dubitantis autem oratio nunquam exauditur.

V. *Habeamus
fidem fiducia-
m; indubi-
tatum.* Iacob. 1. Ut verò fides & fiducia nostra rotunda sit, statuere certò debemus, non solum & posse & velle Deum nobis postulata omnia largiri: sed &, quicquid largitur, id dare illum nobis propter semetipsum ac filium suum Iesum Christum, hoc est, ex mera gratuitaq; misericordia. Ideoq; quantumlibet etiam iustitię cultuiq; diuino studeamus, & agnoscere tamen perpetuò debemus indignitatē nostram,

stram, & vni diuinæ bonitati ac Christi meritis fide-
dere: dicentes nimirum cum Daniele cap. 9. Non in
iustificationibus nostris prosternimus preces ante
faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. At-
que hoc demum rectè in Christi nomine orare
est: Ioã. 16. orare inquam & sperare exauditionem
solorum Christi meritorum fiducia. Sextò verò,
ieiunijs quoq; & eleemosynis sincerè erogandis vt
vacemus inter orandum, vtile est. Bona enim (te-
ste Tobia cap. 12.) est oratio cum ieiunio & eleemo-
syna: faciuntq; alæ hæ duæ, vt & ardentior nostra
sit precatio, & citius efficaciusq; exaudiamur. Ve-
rùm insuper & patientes perseverantesq; in oratio-
ne nos esse oportebit, ne scilicet præfigamus Deo
statum exaudiendî nostri tempus, neq; exauditio-
nem præter votum nostrum differenti obmurmu-
remus. Judith 8. Qui perseverarit in finem vsque,
inquit Dominus, is saluus erit. Matth. 24. quemad-
modum & ex duabus parabolis, quarum altera Lu-
cæ 11. altera verò apud eundem cap. 18. extat, abun-
dè videre est. Atq; hinc toties clamat Paulus, vt ci-
tra intermissionem oremus, Rom. 12. Ephe. 6. Col.
4. 1. Thess. 5.

Postremò verò, ne quid omninò orationem no-
stram impediât, ea cùm primis perêda nobis sunt,
quæ cum Dei voluntate non pugnent, sintq; pro-
in aut merè salutifera aut saluti certè minimè ad-
uersa. Alioqui nanque frustra omninò oraue-
rimus, neque in Christi orauerimus nomine. Ne
erremus igitur, quoties vel corporis vitæq; præsen-
tis petimus commoda, vel incommoda contrà de-
precamur, conditionaliter semper orandum no-
bis erit, vt nempe exauditionem ipsam Dei com-
mendemus arbitrio: iuxta illud Leprosi Matth. 9.

I s Domi-

VI.

*Ieiunijs eleem
osynisq;
vacemus.*

VII.

*Simus patien-
tes & perse-
verantes.*

VIII.

*Petamus
qua cum Deo
voluntate
non pugnat.*

Domine, si vis, potes me mundare: imò iuxta ipsiusmet Christi paradigma Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. At quoties petimus ea, quæ signantur aperteq; ad Dei faciunt gloriam, nostramq; & aliorum salutem prouehunt, & confidenter & citra conditionem oremus.

Porro autem, vt nunc progrediamur, et si multæ insignesque preces sunt in Scripturis sanctis, ad quarum exemplar & nos nostras instituerè piè orationes possimus: excedit tamen has omnes ea precatio, quam æterna illa Dei Patris Sapientia Iesus Christus in Euangelio & Apostolis tradidit & nobis reliquit. Matth. 6. Luc. 11. Nam quicquid in illis ex parte ferè & ad longum continetur, id totum Oratio hæc & absolutissimè & breuitate mira cõplectitur. Hanc eandem ergo quàm commendatissimam nobis habeamus, ad ipsam quoque ceu perfectissimam amussim exigamus omnes preces nostras: vt nimirum, si fortè alijs aliquando verbis oremus, nunquam tamen petamus alia dissonantia.ue.

Sed vt breuiores simus, sic illa verbatim habet: *Pater noster, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo, Amen.*

*Orationis
Dominice in
petitiones
septem dia
binctio.*

Vsu diutino receptum est, vt in petitiones septem distinguatur hæc ipsa Oratio: eam ergo distinctionem & nos in præsentiarum retinebimus.

Principio autem, priusquam ad parteis veniamus,

mus, caput ipsum discutiemus paucis, vbi scilicet CHRISTVS dicere nos iubet: *Pater noster, qui es in caelis.* Hic enim quaestiones aliquot oboriuntur, quas soluere explicareque necesse est. Prima verò est, ecquid Dominus ad solum Patrem orationem hanc destinauerit: secunda autem, quarenam Patrem suum vocet patrem nostrum: tertia denique, quare in caelis Patrem esse dicat.

Ve igitur ad primam initiò respondeamus, sciendum erit, non eam ob causam ad Patrem solum institutam esse orationem hanc, quasi ipse Filius & Spiritus sanctus orari non debeant: sed ob id, quòd CHRISTVS vnicè Patris gloriae studuerit, huiusque verè paternum erga omnes affectum voluerit commendare omnibus. Est siquidem Patris compellatio admodum amabilis & fiducia plena, inflammatque Credentes & ad redamandum DEVM, & ad confidenter quiduis ab eo petendum. Alioqui tam indiuidua est sanctissimæ Triadis vnio, vt qui orat Patrem, oret simul & Filium ac Spiritum sanctum: & econtrà. Nec potest orari verè Pater, nisi in Filio seu huius nomine, & per Spiritum sanctum. Quid enim oraturus simus vt oportet, non nouimus: sed ipse Spiritus intercedit pro nobis, hoc est, orare nos docet impellitque, gemitibus inenarrabilibus. Roman. 8.

Quod verò ad quaestionem secundam spectat, sciamus oportet, ob id Patrem vocari à Christo patrem nostrum, vt spem indubitam in ipsum collochemus, meminerimusque nos omnes esse fratres ac sorores inuicem. Si namque Deus pater noster est, nihil certè nisi optima quæque de illo polliceri nobis possumus: si item fratres sororesque sumus omnes,

Christus cur ad solum patrem orationem hanc deo stinet.

Christus cur patrem suum vocet patrem nostrum.

*Christus cur
in cœlis pa-
trem esse di-
cat.*

non pro nobis ipsis duntaxat, sed & pro alijs arden-
ter orare monemur. Cæterùm ad tertiam quæstio-
nem quod attinet, nouisse debemus, non eo no-
mine Patrem in cœlis esse dici, quasi idem non sit
& vbiq; locorum: sed, quòd in cœlis diuina eius &
maiestas & gloria omnium maximè eluceat, vtq;
discamus nos terrena despiciere, ac amare quære-
req; cœlestia. Col. 3.

*Prima peti-
tio.*

Iam ad primam Orationis Dominicæ petiti-
onem accingemur, nempe: *Sauclificetur nomen tuum.*
Nomen Dei, Dei est omnipotentia, sapientia, bo-
nitas, & quicquid præterea progressuum benefi-
corum ab ipso proficiscitur. Hoc verò nomen per
se quidem longè sanctissimum gloriosissimumq;
est, vt proin neq; à nobis neq; ab vllâ omninò crea-
tura sanctitati illius addi quippiam possit: ve-
rùm orare hîc docemur, vt in nobis (in nobis in-
quam) nomen suum sanctissimum sanctificet ac
gloriosum esse ostendat cœlestis Pater, hoc est, ea
gratia donare nos dignetur, vt sincero ipsum cor-
de & agnoscamus & inuocemus & diligamus, in-
trepido ore nomen æc magnalia ipsius coram to-
to mundo confiteamur, ipsoq; opere tanta in no-
bis reluceat vitæ sanctimonia, vt omnes inde & ip-
sum nobiscum glorificent & ad ipsum seriò con-
uertantur. Matth. 5. 1. Pet. 2. Sumus nimirum eius
filij, vt paulò antè accepimus: par igitur est, vt &
gnesciorum filiorum exemplo vnicè honori ipsius
studeamus.

*Petio secun-
da.*

Sequitur petitiio secunda: *Adueniat regnum tuum.*
Regnum Dei, regnum omnium seculorum est: &
dominatio eius durat à generatione in generatio-
nem. Psal. 144. Vt igitur idem ab æterno venit seu
fuit, ita & veniet porrò, nec desinet vnquam, etiam
nobis

nobis non orantibus. Verum nos hoc orare monemur hinc, ut illud ipsum ad nostram omnium salutem adueniat: ut inquam efficere dignetur Pater cœlestis, quò doctrina Evangelica quàm latissimè propagetur, quò Ecclesia seu credentium numerus indies magis magisque; & augetur & in pietate progrediatur, quò denique & tandem (mundo hoc immundo transmissio) regni cœlestis & latus introitus & felicitas nunquam finienda nobis omnibus contingat.

Sed audiamus nunc & tertiæ petitionis sensum, *Petitio tertiæ* quæ sic nimirum habet: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, ita & in terra.* Dicit Psalter Psal. 114. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari & omnibus abyssis. Fiet ergo & etiamnum voluntas eius ubique locorum, tam in terra quàm in cœlis. At nos docemur hic orare, ut in nobis ipsius voluntas fiat, hoc est, ut operari ipse in nobis dignetur & velle & perficere pro bono animi proposito. Philip. 2. ut inquam naturam nostram prauam voluntatem in nobis mortificet, substituaturque cor nouum & spiritum rectum in visceribus nostris. Psal. 50. scribat in cordibus nostris legem suam. Ierem. 31. ut intelligamus, quæ nam ipsius sit voluntas. Ephe. 5. imò verò, ut voluntatem suam facere nos doceat. Psal. 143. quò sic videlicet, cœlitum exemplo. Psal. 103. spontanei ac lubentes ad iussa ipsius sanctissima vndiquaque exequenda feramur, nec offendamus ipsum vnquam vel in minutissimo.

Sequitur verò quarta petitio: *Panem nostrum quò* *Petitio quartæ* *tidianum da nobis hodie.* Hactenus ea tantum petiuimus, quæ ad Deum, huiusque cultum ac gloriam in primis pertinent: ut nimirum gloriola ipsius & omnipo-

impotentia & sapientia & bonitas à nobis, inò & ab alijs omnibus agnoscatur prædiceturque ac ametur, vt ipsum nos per fidem veram in regem sempiternum recipiamus, ac tutò nosmet credamus ei, vt denique omnes ipsi tanquam nostro & regi & patri per omnem vitam obsequamur. Cæterum præcatiuncula præsentis & tribus subsequētibus oramus ea porrò, quæ ad nos ipsos atque nostram potissimum necessitatem spectant. Horum autem primum est, vitæ præsentis sustentatio. Oramus itaque hic, vt quandiu hisce in terris peregrinamur, prouidere nobis dignetur Pater cœlestis cibum, potum, vestes, commodam sedem, corporis incolumitatem, successum pium in rebus gerendis, vocationis nostræ necessaria, pacatam ac quietam vitam, & quibuscunque demum rebus alijs externis indigebimus: sed in primis salutarem animæ sustentationem petimus, ipsius nempe Verbum saluificum. Spiritum item sanctum & dona huius septemplicia, communionemque salutiferam carnis & sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI: donec tandem, absoluto vitæ huius stadio, panem superstantialem gaudij beatitudinisque cœlestis cum ipso in regno cœlorum manducemus feliciter. Animaduertendum autem nobis est, vocula illa (Quotidianum) excludi luxum & delicias adiectionem verò (Hodie) anxiam illam rerum temporalium curam & sollicitudinem de crastino tollere.

Petitio quinta

no.

Porrò ad hunc modum habeat petitio quinta: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debita vobis nostris.* Vti corpori omnium maxime necessarius est cibus, potus, ita animæ ipsi remissionem peccatorum

peccatorum cum primis opus est. Nam nemo nostrum tam viuit innocenter, quin subinde peccet: iuxta illud Iacobi cap. 3. In multis labimur omnes. Petimus igitur hic, vt indulgentissimus Pater pro immensa sua bonitate omnia nobis remittat peccata nostra, siue quæ commisimus, siue quæ periculum est vt committamus. Quia verò indignum est vt veniam à Patre cœlesti consequamur, si ipsi in fratres sororesque nostros inclementes simus: iccirco admonet nos precula hæc, vt nostris etiam debitoribus, hoc est, in nos peccantibus, condonemus noxam omnem, quò sic & erga nos ignoscentia vtatur Dominus. Vt autem propensiores reddamur huc, ita C H R I S T V S Matthæi 6. exerte inquit: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Cæterùm subsequitur sexta petitio: *Ne nos inducas in tentationem.* Tentat nos subinde Sathan, tentat mundus, tentat propria caro: neque, quando versamur in corpore illo peccati, inducitur vix dantur. Orate itaque hic iubemur, ne Pater cœlestis in tentatione nos deserat aut superari patiatur, ne à facie sua reijciat nos, ne Spiritum sanctum à nobis auferat, ne denique in impietatem & obstinaciam sinat nos ruere: sed, vt vniuersa sua nos armatura munit, nos confirmet, det nobis cum tentatione sufferendi resistendique euentum, victores demum facere nos dignetur. I. Corinth. 10. Ephe. 6.

Superest petitio septima ac postrema. *Libera nos à malo.* sic in vita hac cõparatum nobiscum est, vt
 luc-

succedant ferè semper tentationes tentationibus, peccata peccatis, calamitates calamitatibus: ideoque etiam si ab alijs iam sumis erepti, periculum tamen sit ne alijs longè grauioribus inuoluamur, adeoq; succumbamus etiam tandem. Orare igitur docemur isthac petitione, vt nos ab omnibus semel tum corporis tum animę malis periculisq; adferere dignetur Pater cęlestis: eoq; contrà attollere ac transferre, vbi æterna est securitas, summa pax, perpetua quies, felicitas nunquam intermorrura, & perhenne gaudium, vbi ipse vnà cum Filio suo Iesu Christo Domino nostro & Spiritu sancto viuut ac rēgnat Deus in omnia secula:

Amen verò, quòd in fine appingitur, quodque verè & fideliter significat, seu verum fiat: addit indubitata nobis fiduciamque. Quid nī autem? Si enim orationem piam ab hominibus pijs compositam exaudit summus ille Parens: quanto gratior erit ei hæc, quantoq; magis eam exaudiet, cuius auctor ipse est Dei filius? vt in quo illi vnice complacitum sit, quemq; vnum audiri à nobis voluit? Matth. 3. 17. 2. Pet. 1.

Vide, Iuxta hanc amussim orare debemus, ad istum item modum Precationem Dominicam debemus expendere: ita nimirum certo certius futurum est, vt voti reddamur compotes, ideoq;

& transgressionibus omnibus Decalogi diuinitus liberemur, & implendę porrò Legis efficaci donemur gra-

tia.

DE SACRAMENTIS:

Ac primò quidem

DE BAPTISMO.

CONCIO XIX.



Docti estis in Concione nostra proximè habita, fratres sororesque in Christo amantissimi, quamnam primò viam ingredi nos oporteat, vt Deū animarum nostrarum curatorem potentissimum benignissimumque; & inuenire & demereri nobis possimus: nimirum, ardenti seriatim; Oratione, vtpote primo fidei effectu, vtendum nobis esse. Rom. 10.

Iam verò vt consequamur verè id, quod petimus: non illa tantum media sufficiunt, de quibus ordine egimus tum: sed & alia insuper requiruntur, diuina scilicet Sacramenta, quippe quæ vasa

*Sacramentâ
vasa gratiæ
Dei.*

sint gratiæ Dei, per quæ inquam illabitur ea diuinitus cordibus nostris. De his igitur nunc porro agemus: & sic quidem agemus, vt eum omninò retenturi simus & numerum & ordinem, qui ab Ecclesia Catholica solenniter receptus est, idque ab ipsis adeò Apostolorum temporibus.

*Septenarius
Sacramentorum
numerus
ab ipsis*

*Apostolorum
temporibus:
Baptismus:*

Quia verò Baptismus primum in ordine Sacramentum est, ab hoc in Christi nomine in præsentiarum auspicabimur: Ac principiò quidem explicabimus, quid nam Baptismus sit: secundò docēbimus, quid Baptismus Sacramentum sit & dicatur, vbi de ipso quoque eius institutore differemus obiter: tertio declarabimus, ad quid Baptismus conducatur, vbi & cæremônias circa administratio-

K nem

nem eius vſitatas paucis exponemus: quartò eno-
dabimus, æquibus conferri Baptiſmus debeat:
quintò ac poſtrèmo aperiemus, quodnam ſit & ef-
ſe debeat Suſceptorum officium. Omnia autem &
breuiter & dilucidè pertractabimus: rogantes in-
terim vos, vt quàm diligentiffimè aduerſatis ani-
mum.

*Baptiſmi vo-
cabuli deſini-
tio & uſur-
patio.*

*Baptiſmus
pro lotione
uſurpatur.*

*Baptiſmus
pro paſſione
uſurpatur.*

*Baptiſmus
donationem
ſpiritus ſan-
cti denotat.*

*Baptiſmi Sa-
cramenti
deſinitio.*

Primò itaq; ad primum quod attinet, quidnam
ſcilicet Baptiſmus ſit: obſeruandum eſt, variè vo-
cabulum hoc uſurpari in Euangelio. Aliquando
enim in genere quacunq; lotionem ſignificat: ve-
luti Marc. 7. vbi legimus, Pharifæos & Iudæos om-
neis à foro venientes baptizari, prius quàm edât.
Nonnunquam paſſionem etiam ſeu mortem de-
ſignat: iuxta illud Chriſti Marc. 10. Potestis bap-
tiſmo, quo ego baptizor, baptizari? item Luc. 11. Ba-
ptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſ-
que dum perficiam? Quin & donationem ſeu inſu-
ſionem Spiritus ſancti aliquoties denotat: vnde ni-
mirum Act. 1. inquit Dominus, Vos baptizabimi-
ni Spiritu ſancto poſt dies hoſce non multos.

Verùm quod ad inſtitutum noſtrum peculiari-
ter ſpectat, eſt Baptiſmus lauacrum aquæ in ver-
bo vitæ. Ephe. 5. ſiue lauacrum regenerationis & re-
nouationis. Tit. 3. Dicitur autem lauacrum aquæ,
quia in eo vel aquæ immergimur vel hac ſaltem
tingimur. Regenerationis verò & renouationis la-
uacrum dicitur, quòd in eo ſpiritualiter renaſca-
mur, purgemur, ac ſanctificemur. 1. Corinth. 6.
Atque hinc ille à diuo Petro, bona reſponſio apud
Deum bonæ conſcientiæ vocatur. 1. Petri 3. quòd
efficiat videlicet, vt tuta ac pacata ſit conſcientia
apud Deum, hoc eſt, purgata, iuſtificata, ac ſan-
ctificata.

Cæterum consideremus nunc, æquur Bapti- *Baptismus*
 smus & sit & dicatur Sacramentum. Sacramentum *cur sit & dia*
 nempe, diuinæ & inuisibilis gratiæ externum & *atur Sacra*
 visibile signum est. Duo enim in vnoquoq; Sacra- *mentum.*
 mento consideranda veniunt, externum scilicet *Duo in vno*
 Signum, & inuisibilis diuinaq; Gratia. Sunt autem *quoq; Sacra*
 Sacramenta (vt hoc addamus interim) non sim- *mento cono*
 pliciter symbola sacra, sed & efficacia symbola: *sideranda.*
 hoc est, non significant solum Dei gratiam seu fa- *Sacramentū*
 uorem erga nos, sed ipsam quoq; diuinam grati- *quid.*
 am dignè sumentibus efficaciter conferunt. Hæc
 igitur duo & in Baptismate clarè deprehendun-
 tur, externum inquam symbolon seu signum, &
 gratia interna. Vt enim aqua à natura vis inest e-
 luendorum rerum corporalium sordes, ita aqua
 Baptismi significat animi sordes in Baptismo pur- *Aque Bapti-*
 gari. Non tantum verò purgatio hæc animi per *smi vis & ef*
 aquam illam significatur, sed & re ipsa vereque in *ficacia.*
 Baptismo fit. Sed dixerit hic quispiam: Num aqua *Questio.*
 Baptisimatis tantæ omninò virtutis est, vt animam
 purgare & sanctificare queat? Ad hanc nimirum
 quæstionem sic respondet diuus Augustinus Li de *Augustini de*
 Cataclysmo, cap. 3. Aqua illa non solum corporis *aqua bapti-*
 sordes mundat, sed animam à peccatis liberat. De- *smi senten*
 betis autem nosse, cur virtus illius aquæ & animæ *tia.*
 proficit & corpori. Non omnis aqua mundat: san-
 ctificatur hæc per consecrationem verbi. Tolle
 verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit Ver-
 bum ad Elementum, & fit Sacramentum. Virtus
 Verbi per aquam mundauit nos, quia super aquas
 ambulauit. Hactenus ille. Vide: Quòd purgamur
 in Baptismo, non virtute aquæ per se fit, sed virtu-
 te Verbi & Spiritus sancti aquam sanctificantis at-
 que in ea purgantis.

Verum ne quis interim existimet, ergo aquam esse superuacaneam: dicit alibi idem Augustinus, nempe Tract. 15. super Ioan. Tolle aquam, non est Baptismus: Tolle verbum, & non est Baptismus. Ac proin & Dominus expresse in Euangelio inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Est itaq; & dicitur Baptismus ob id etiam Sacramentum, quod habet at iuxta & Elementum & Verbum. Nam hoc ipsum Sacramentis omnibus peculiare est. Elementum quidem, uti iam iam diximus, est ipsa Aqua: Verbum vero, Christi institutoris Mandatum & Promissio existit. Sic autem Verbum habet: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Quod videlicet hoc Christi mandato fundatur: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Matth. 28. Et huic item promissioni innititur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, is saluus erit. Marc. 16. Sensus vero Verbi, quod pronunciat Minister, huiusmodi est: Hoc signo visibili, quod nempe aqua te tingo in sacrae Triadis nomine, tecum paciscor ac teltor, quod reconcilieris Deo, & ab eo recipiaris in gratiam, qui est Pater & Filius & Spiritus sanctus. Atque ita sigillum etiam certum reconciliationis nostri & Dei erga nos fauoris Baptismus est.

Baptismi institutio.

Baptismus ad quid conducat.

Baptismi effectus.

Iam & ordo & opportunitas postulat, ut & tertium explicemus, ad quid nempe conducat Baptismus. Et si autem effectus eius in praecedentibus etiam attigimus obiter, hic tamen fusius clariusq; eosdem recensebimus. Hi sunt igitur praecipui effectus Baptismi: Baptizatus eo eripitur a regno & tyrannide Diaboli, donatur remissione omnium suorum peccatorum, donatur Spiritu sancto ac vera inno-

innocentia, addicitur consecraturq; vni Deo Patri & Filio & Spiritui sancto, huius deniq; fit filius atq; hæres. Atq; hi iidem effectus, quemadmodum ex sacrarum literarum ac patrum orthodoxorum testimonijs sunt longè verissimj, sic cæremonijs quoq; illis circa Baptismi administrationem adhibitis pulchrè delineantur, præsertim verò immersione extractioneq; ipsius Baptizati. Nam quòd homo mergitur seu tingitur in Baptismo, per hoc peccati mors & sepultura significatur, hoc est, qd à Sathanæ, peccati, & mortis liberetur iam imperio: quòd verò idem rursus leuatur seu extrahitur de fonte, per id nouitas seu innocentia vitæ designatur, hoc est, quòd Spiritu sancto innouatus sit, quòd filius sit Dei, vitæq; æternæ hæres. Sed consideremus hic & alias porrò cæremonias. Nihil enim earum certo mysterio, & fidei pietatisq; incitamento insigni caret. Primò igitur quòd consecratur fons Baptismatis & precatione solenni & Chrismatis illinitione, id eò fit, vt intelligamus Aquã non ex propria sua natura (quemadmodum & supra diximus) sed ex virtute diuina ac effectu Spiritus sancti abluere peccatorum sordes. Quòd autem in administratione Baptismi Exorcismus (qui nimirum Verbo & Exufflatione constat) adhibetur, principio eam fit ob causam, vt spiritus immundus à Baptizando (sub cuius is tyrannide fuit hætenus) expellatur, & Spiritui sancto cedat: neq; contendat posthac subuertere violareue illum, quem in Christi tutelam susceptum iam esse agnoscit. Dein verò Baptizandus signo crucis mupitur & in fronte & in pectore, vt meminerit se nomen dare iam Christo crucifixo, eoq; hunc & publicè cognoram toto mundo confiteri & constanti animi fide

*Immersione
infantis in
Baptismo
quid innuat
tur.*

*Extractione
ex fonte quid
significetur.*

*Cæremonie
Baptismi nõ
carent certo
mysterio.*

*Baptismatis
fons cur con-
secretur.*

*Exorcismus
cur adhibea-
tur in baptis-
mo.*

*Baptizandus
cur crucis sig-
no munietur.*

fiduciâq; apprehendere debere. Hinc falis gustus

*Baptizando
cur sal præ
beatyr.*

Baptizando præbetur, vt admoneatur omni iniquitatis factore & sordibus peccatorum carere se oportere, ac omnem posthac sermonem suum sale

*Baptizandi
aures & na
res cur spueo
illinantur.*

le sapientiæ salutaris esse conditum. Mox aures naresq; Baptizandi sputo illinantur, vt doceatur audiendum sibi esse deinceps Verbum Dei, inq; solum Deum oblectationem voluptatemq; suam

*Baptizandus
renuntiare
Sathanae cur
subeatyr.*

omnem collocandam, minimè verò sectandas seculi huius aut carnis delicias. Post Baptizandus renuntiare Sathanæ & Christi fidem confiteri iubetur, vt per sponfionis huius recordationem, in omnibus suis & verbis & cogitationibus & actibus

*Baptizandus
cur oleo san
cto ungetur
in pectore.*

suggestiones Diabolicas ac peccata omnia sollicitè fugiat, Christo que contra & innocentiaë adhæreat constanter per omnem vitam. Insuper verò

*Baptizatus
cur in verti
ce Chrisma
te ungetur.*

ungitur Baptizandus oleo sancto in pectore & inter scapulas, vt meminerit luctandum sibi esse iam contra ipsum Sathanam & Mundum, vt que ad orthodoxæ fidei confessionem ac bonorum operum executionem virtute diuina roboretur. Porro simul atque baptizatus ille est, Chrismate in vertice

*Baptizatus
cur veste al
ba indua
tur.*

ungitur, vt norit se capiti Christo insitum nunc esse, ideoq; verè Christianum factum. Nam per Baptismum (Paulo teste) Christum induimus. Galatas 3. Cæterum induitur euestigiò Baptizatus

*Baptizato
cur datur
corporis san
guinisq; ab
lutio.*

veste seu vitta alba, vt sciat se iam à pristina Diaboli & peccati seruitute esse omninò liberum, vt que puritatem ac innocentiam (qua in Baptismo donatus est) illæsam conseruare vita ipsa studeat.

Postremò autem datur Baptizato (infanti scilicet) corporis sanguinisque Dominici ablutio, ad significandum, quòd quoscunq; ille effectus in Baptismo cōsecutus est, ij vi & efficacia mortis Christi ei

sti ei contigerint. Per hanc enim efficax est Bapti- *Ceremonia*
 finus. Hæ verò cæremoniæ sunt profectò anti- *Baptismi ab*
 quissimæ, & ab ipsis plerunque deriuatæ Apo- *Apostolis deo*
 stolis. Nemo igitur ridere eas aut temerè rejicere *riuatæ, idicæ*
 debet. *q; nen ridens*

Post hæc verò expendemus paucis, ecquibus Ba- *da.*
 ptismus conferendus sit. An a baptistæ quidem con- *Baptismus*
 tendunt, solis Adultis, qui Verbum Dei audierint *quibus confo*
 & fidem ore consiteantur, dandum illum esse: Ve- *rendus.*
 rùm nos Catholici vnà cum vniuersa sancta Ec-
 clesia dicimus, tam Infantes esse baptizandos *Tam infans*
 quàm Adultos. Atque hoc ipsum non dicimus mo- *tes quã adub*
 dò, sed & rationibus firmissimis possumus euince- *ti baptizans*
 re. Primò nempe certum est, Circuncisionem ty- *di.*
 pum fuisse Baptismi, quemadmodum & mare ru- *Consutatio*
 brum. Coloss. 2. 1. Corinth. 10. Atqui Infantes cir- *opinionis de*
 cuncisi sunt, Genes. 17. Adhæc quoque tam Infan- *nabaptistæ*
 tes per mare rubrū trāsierunt, quàm Adulti. Exod. *rum ex sa-*
 14. Ergo & baptizari nunc Infantes debent, nō mi- *cris literis,*
 nus certè atq; ipsi Adulti. nam quod in figura fa-
 ctum est, id multò magis in veritate fieri debet. De
 inde verò apertè Christus dicit: Simite pueros veni-
 re ad me, quoniam talium est regnum cælorum.
 Matth. 19. & rursus: Non est voluntas coram Pa-
 tre meo, vt vnus pereat de pusillis istis. Matth. 18.
 Sed non possunt venire ad Christum Infantes seu
 paruuli, nisi per Baptismū. Nisi enim renatus quis
 fuerit, non potest introire in regnum Dei. Ioan. 3.
 Ergo, vt ij ad Christum veniant, baptizandi vtiq;
 sunt. Et si non vult Deus, vt pereat quis pusillo-
 rum: nec vult sanè, vt Infantes à Baptismate abar-
 ceantur. Nā alioqui certo certius perierint, quip-
 pe qui in peccatis & concepti sint & geniti, eoq;ue
 condemnationi obnoxij. Psalm. 50. Iob 9. 15.

Infantes credere per alios.

Hæ rationes satisfaciunt haud dubiè pijs omnibus. Cæterùm si quis fidem omninò in illis requirat, dicimus cum Augustino, & Infantes credere: sed per alios, sicut & per alios peccarunt. August. ad Bonifac. Prodesse autem fidem alienam, ex Evangelio compertissimum est. Ibi enim propter aliorum fidem Christus peccata etiam remisit. Matth. 9. non dubium igitur esse potest, quin idem & propter Ecclesiæ susceptorumq; fidem in gratiam recepturus sit Infantes. Quare nihil efficiunt Catabaptistæ paralogismis illis suis & falso adductis in tellectisq; sacræ Scripturæ testimonijs.

Susceptorum munus quod sit.

Verùm iam ad postremum quoq; accingamur, quod nam scilicet sit Susceptorum munus. Et si autem supra in quartum Decalogi præceptum de horum functione non nihil obiter diximus, locus tamen postulat, ut & hic de eadem agamus rursus. Illos igitur Susceptores referunt, qui olim paruulos adduxere Christo: & ab ipsis quidem Apostolorum temporibus horum semper vsus fuit, ut apud Dionysium videre est. Sunt nimirum ij, qui Ecclesiæ nomine & in eius fide offerunt Christo per Baptismũ paruulos, ac sese veluti fideiussores pro paruulis constituunt: dum videlicet respondent nomine illorum, seriamq; ipsorum in fide & pietate in se recipiunt educationem. Quum igitur tam arduum officium gerant, primò quidem maximus delectus habendus est, ne quilibet huc eligantur, præsertim verò ne deligantur impuberes, & qui ipsi promissa mysteriaq; Baptismi non intelligunt: deinde verò curare Susceptores debent, ut suis probè munijs fungantur, hoc est, tam mente quàm ore ad interrogata respondeant, & paruulos iam adultos in fide orthodoxa ac Christiana pietate (si opus

Susceptorum vsus ab Apostolorum temporibus receptus.

opus sit) seriò instituant. Augustin. Serm. 6. in oct. Paschæ.

Hæc breuiter de Baptismi Sacramento admonere disserereq; volumus, quò videlicet illud iusta reuerentia & complectamur & tractemus & suscipiamus posthac. Vos modò omnia diligenter ruminare ac infixæ animis habetote. Sed in primis hoc curemus omnes, vt Baptismi vim tota vita exerceamus, hoc est, peccata mortificemus, & in vitæ resurgamus pergamusq; semper nouitatem. Sic em̄ & manebimus quod facti simus in Baptismo, nempe Filij Dei: & æternæ quoq; hæreditatis capiemus in cælo possessionem immortalem.

CONCIO XX.

De Confirmationis Sacramento.



Eri de Baptismi Sacramento egimus, quantum Dominus dedit, quantumque vestra poposcit vtilitas. Et declarauimus quidem primò, quid Baptismus sit, nimirum lauacrum aquæ in verbo vitæ, seu lauacrum regenerationis & renouationis: secundò autem, cur Sacramentum sit & dicatur, nempe quòd constet verbo & elemento, quòd & visibile sit diuinæ gratiæ signum, & gratiam etiam inuisibiliter conferat: tertio verò, ad quid conducatur, siue quid operetur in homine, & eripiat scilicet Baptizatum à tyrannide peccati & Sathanæ, quòd is in eo donetur Spiritu sancto & innocentie dono, quòd addicatur vni veroq; Deo, quòd deniq; Dei filius & hæres inauguretur: quar-

*Superioris
concionis de
Baptismo
summarie re-
petitis.*

tò verò, quibus debeat conferri Baptismus, tam Infantibus videlicet quàm Adultis, citra exceptionem vllam: postremò, quid officij incumbat Susceptoribus, nimirum quòd munus suum debeant intelligere, atque ob id prouectæ esse ætatis, quòd in fide pietateque instructi probè esse debeant, quòd seriò tam corde quàm ore ad interrogata ipsis sit respondendum, quòd paruulos denique in ætate adulta fide orthodoxa & vita Christiana (si præsertim vel cessent vel obierint mortem parentes) debeant pro virili imbuere.

Nunc itaque consequenter de Sacramento Confirmationis, quo omnium primò initiantur Baptizati, pari diligentia agemus. Precor autem, fratres sororesque in Christo dilectissimi, vt patienter me audiat is hic. Non enim somnia & commenta hominum vobis obtrudam, sed solidam adferam veritatem, traditionemque Apostolicam: & ea quidem ratione de Sacramento hoc loquar, vt intellecturi sitis, non tam deridendum illud esse, neque tam leuiter tractandum, vti hodie plerunque fit.

Cæterum vt omnia ordine & cum fructu peragantur: primò paucis exponemus, quid Confirmatio ipsa sit: secundò autem, cur & quomodo ea sit Sacramentum: tertio verò, vndenam eius vsus profluxerit, seu quandiu fuerit in vsu: quarto verò, quid cæremoniæ adhibitæ sibi velit: quinto porrò, qua potissimum ætate Confirmationi sit initiandum: sexto denique, quo illa affectu sumenda sit, vbi & de effectibus eiusdem non nihil dicemus. Precor verò rursus, vt animaduertatis quàm diligentissimè.

*Quo affectu
confirmatio
sumenda.*

Est igitur huiusmodi sacramentum Confirmatio,

tio, in quo & per quod infunditur baptizatis gratia augmenti spiritualiumq; profectuum, nempe donum septemplex Spiritus: Spiritus inquam sapientia: & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientia: & pietatis, ac spiritus timoris Domini. Ne quis autem miretur, quomodonam in hoc Sacramento Spiritus sanctus infundatur baptisate tinctis, quum illi in Baptismo cōsequuti eum sint: obseruandum est, aliter hic dari Spiritū sanctum, atq; illic. In Baptismo enim datur Spiritus sanctus ad purificationem & innouationē: sed in Confirmatione datur idem ad robur & augmentum tum fidei, tum virtutis: datur inquam, vt sit Baptizatorum in fide & pietate confirmator ac custos, in dubijs doctor, in aduersis consolator, in tentationibus deniq; tutor & defensor.

Verūm ne quis me hæc comminisci putet, vtq; omnia plus accipiant roboris, cōsideremus hic secundum, ecquando nimirum & per quos Sacramento huius vsus cœperit. Apostolorum videlicet tempore, atque adeo per hos cœpit illud primitus frequentari. Hi nanque per Orationem & Impositionem manuum Spiritum sanctum Baptizatis impetrarunt. Scripturæ audiamus testimonia. Sic Actorum 8. legimus: Quum audissent autem Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem: qui quum venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini IESV. Tunc imponebant manus super illos, & acceperunt Spiritum sanctum. Et Actorum 19. Factum est autem quum Apollo esset Corinthi, ve

Aliter in Cōfirmatione datur Spiritus sanctus, atque in Baptismo.

Confirmatio nis vsus cœpit tempore Apostolorū.

Loci sacre scriptura de Confirmatione nis sacramenta.

Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos, dixitque ad eos, Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neq; si Spiritus sanctus est, audiuius, Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis Baptismate. Dixit autem Paulus: Ioānes baptizauit baptismō pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum vt crederent, hoc est, in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et quum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Hos duos locos & vetustissimi Catholicī Scriptores, & successores eorum omnes de Sacramento Confirmationis intelligunt, quemadmodū nec aliter ij re vera intelligi possunt. Hinc nimirum D. Clemens Petri discipulus, Epistola 3. ad Iulium & Iulianum Episcopos, apertè scribit: Omnibus (inquiens) festinandum est sine mora, vt renascantur Deo, & demum consignentur ab Episcopo, id est, septiformem gratiam Spiritus sancti percipiant. Quia incertus est vniuscuiusq; exitus vitæ. Et Tertull. de Resur. carnis scribens, sic in ter alia ait: Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. Et Dionysius item de Eccle. Hier. cap. 2. part. 2. Assumentes autem (inquit) illum Sacerdotes, Susceptorī suiq; accessus duci tradunt, & vnà cum ipso illum vestem baptizati munditiæ congruam induunt, sicq; indutum rursus ad Pontificem ducunt. Ille diuino ac deifico prorsus vnguento virum signans, sacratissimæ communionis participationem

Clemens.

Tertullianus.

*Dionysius
Areopagita.*

pem facit. Ex his profectò testimonijis (ne alios in- *Confirmatio*
 terim Patres innumeros adducamus) abundè satis *tionis sacra-*
 videre est, non à Papis aut Monachis, vt quidam *mentum non*
 mentuntur, confictam institutamq; esse Confir- *à Papis insti-*
 mationem seu Consignationem. Quum igitur ea *tutum, vt*
 inde ab ipsis Apostolorum temporibus in hunc vs- *heretici*
 que diem durauerit, ne contemptui quæso & deri- *mentuntur.*
 diculo habeatur à nobis, quin dignâ illam duca-
 mus ueneratione.

Cæterum explicabimus iam, quær Confirmatio *Confirmatio*
 & sit & dici debeat Sacramentum. Dixi heri, in Sa- *cur sit & di-*
 cramento vno quoque duo præsertim considerari *catur sacra-*
 debere: signum videlicet visibile & inuisibile *mentum.*
 gratiam, Verbum item & Elementum. Hoc nimi-
 rum vtrunq; & in Confirmatione deprehenditur.
 Nâ Verbû est: Signo te signo crucis, & confirmo te
 Chriſmate salutis in nomine Patris & Filij & Spi-
 ritus sancti, vt replearis eodem Spiritu sancto, &
 habeas vitam æternam. At Elementum, Chriſma *Chriſma con-*
 est, quo Confirmandi frons in crucis modum per- *firmationis*
 ungitur: quod nempe, posteaquam Spiritus san- *elementum;*
 ctus sensibiliter venire in Confirmatos desijt, tra-
 ditione Apostolica loco Impositionis manuum
 subrogatum est. Quum ergo & Verbum & Elemen-
 tum habeat Confirmatio, iure profectò optimo
 dicitur estq; illa Sacramentum. Verbum autem ea-
 ius, quod reddidimus modò, omnibus Christi pro-
 missionibus de Spiritu sancto Apostolis & Credè-
 tibus mittendo innititur: sed ei in primis inniti-
 tur promissioni, qua Christus promisit Patrem
 daturum Spiritum bonum seu sanctum oranti-
 bus ac diligentibus se. Luc. ii. Ioan. 14. 15. 16. Chri-
 sma verò adhibetur Elementi vice, ad inuisibilem
 interioremq; vnctionem Spiritus sancti designã-
 dam:

dam: quod tamen & ob id vsurpatur, vt meminerint Confirmandi, se splendore fidei & charitatis fragrantia præditos esse, ac suauem odorem bonorum operum circumferre per totam vitam oportere.

Ceremonia confirmationis. Nunc ad cæremonias veniemus, quæ (præter Chrismatis illinitionem) vsurpari circa Confirmationem consueuerunt. Quòd igitur signum Crucis fronti Confirmandi imprimitur, ob id fit, vt admoneamur, Imperatorem nostrum Iesum Christum crucifixum (cui in Baptismo nomen dedimus) sine omni metu ac pudore nobis palàm & vbique esse confitendum: vt verè scilicet cum Paulo dicamus, Nihil in se scire iudico, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. 1. Corinth. 2. & Absit gloriari mihi, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Galat. 6. Quòd verò & alapa Confirmando in maxillam intringitur, eam fit ob causam, vt meminerimus, quemadmodum Christi nomen & crucem coram mundo vniuerso confiteri intrepidè debemus, ita quancunque etiàm ignominiam libenter patienterque nobis in eius gratiam ferendam, eoq; dextram nostram maxillam percutienti, obuertendam etiàm sinistram esse. Matthæi 5. Actorum 5.

Alapa cur confirmando in fringatur.

Qua aetate confirmatio iniunxitur. Sed expendamus etiàm porrò, quo potissimùm tempore confirmandi sint Baptizati. Vsu quidem hodie receptum est, vt promiscuè tam Infantes quàm Adulti ad Confirmationem admittantur: quod etsi nos non improbandum censemus, magis tamè è re Christiana nobis esse videretur, si (iuxta prioris Ecclesiæ & Patrum morem vsitatissimum) soli Adulti, qui videlicet & in fide & in pietate sic satis instituti essent, cõfirmarentur, adeoque

que & (ante Confirmationem ipsam) coram Episcopo fidem Catholicam profiterentur, & obedientiam Christianam ore proprio sponderent, sicque liberarent Susceptores suos. Nam ita haud dubie futurum esset, vt & religiosius sollicitiusq; uocationem suam vrgerent Confirmati, & maior ab omnibus reuerentia deferretur Sacramento. Imò eo pacto ei etiam decreto bellè responderetur, quo precipitur in Concilio Aurelianensi, vt qui initiandi sint, ieiuni & confessi accedant. De Consec. distin. 5. ex Concil. Aurel. cap. 3.

Restat iam, vt & affectum accedentis demonstremus paucis. Qui itaque initiari mysterio huic uolet, ei indubitata fide statuendum est, se per fidem & orationem accepturum Spiritum sanctum arrhabonem salutis, cuius dono & in fide magis illuminetur, & ad fidei confessionem ac operum bonorum exercitia reddatur fortior, & contra denique omnes hostium externorum internorumq; insultus inuictus perdurare possit. Nam hi precipui sunt Confirmationis effectus.

Atque hæc de Confirmationis Sacramento habui, quæ uobis in presentiarum proponerem. Vos quæ audistis, & retinete & benignè interpretimini: adeoq; & magnificentius posthac de hoc Sacramento sentite. Omnes uerò rogemus iam Deum Opt. Max. vt in nostra omnium pectora septemplicem illum suam Spiritum effundere dignetur, quò (huius uis interna) confirmemur & in fide & in fidei confessione & in bonis operibus & in aduersis omnibus, ad æternam nominis sui gloriam, animarumq; nostrarum salutem immortalem,

Amen.

COM.

CONCIO XXI.

De Sacramento Pœnitentiæ.



Disseruimus proximè de duobus primis Ecclesiæ Sacramentis; Baptismo nimirum & Cõfirmatione. Sic autem de ijs disseruimus, vt ostēderimus explicauerimusq; pro modulo nostro,

in Baptismo quidem nasci nos spiritualiter, in Cõfirmatione verò spiritualiter crescere ac enutri-

In Baptismo Spiritualiter nascimur, in Cõfirmatione autem Spiritualiter crescimus.

triri: hoc est, in Baptismo purificari à peccatis, & renouari innocentia: in Cõfirmatione autem, muniri contra peccata, & in fide innocentiaque corroborari. Atque hoc vtrinque per Spiritū sanctum, huiusmodi videlicet effectus operantem: Vnde sanè Sacramenti vtriusque non vtilitas modo, sed & necessitas colligi maxima potest. Nemo homo esse potest, nisi nascatur secūdam carnem: Sic nec Christianus quis esse potest, nisi spiritu nascatur, hoc est, baptizetur. Non solūm verò ad corporis vitam necessarium est homini vt nascatur ac sit, verumetiam vt crescat & enutriatur: Ita nempe Christiano quoque ad vitam animæ seu æternam salutem necessarium est, non tantūm vt regeretur, sed & vt in bono confirmetur prouehaturque. Quemadmodū igitur Baptismus à nullo seruari cupiente prætermitti debet, sic planè nec Cõfirmatio à quoquam contemni debet aut negligi.

*Vt baptis-
mus nō præ-
termitti, ita
nec cõfir-
matio con-
temni debet.*

Cæterū, vt ad institutum nostrum veniamus nunc: idem Baptizatis ac Cõfirmatis vsuuenit spiritualiter, quod omnibus æquè hominibus corporaliter. Nullus mortalium tam absolutè natus ac enutri-

enutritus est, quin infirmetur aliquando & labascat. Ad hunc profectò modum nec Christianorũ quisquam vsque adeò robustus in fide pietateque per vim Baptismi & Confirmationis euasit, vt non in peccata labatur nonnunquam. Nam hæret adhuc in nobis (quamlibet etiam & Baptizatis & Cõfirmatis) dum mortale hoc corpus circumferimus, fomes ille peccati, seu innata praua concupiscentia: cuius scilicet impulsu agimur quandoq; non in leuia solùm peccata, sed & in grauissima crimina. Spirituale igitur aliquod remedium existat oportet, cuius vi & medio lapsi resurgamus, hoc est, à peccatis rursus liberemur. Nã quis alioqui posset subsistere: imò cui non desperandum esset. Atqui antidotum hoc, Absolutionis seu Pœnitentiæ Sacramentum est, quod nimirum ob id eleganter à Patribus secunda post naufragium tabula dicitur. Tabula quidem prior, qua ex diluuiõ naufragioq; peccatorum (siue ea ex Adamo, siue ex propria mala actione contraxerimus) ad salutis enatamus portum, Baptismus solus est: Verùm, si à suscepto Baptismate rursus, per peccatorum repetitionem naufragium facimus, nulla pro peccatis (vt cum Paulo loquamur) noua hostia restat, sed sola hæc superest secunda tabula, Pœnitentiæ inquam. Vnde & Christus Absolutionis clauem Ecclesiæ suæ reliquit.

Quum igitur (vt iam diximus) per Pœnitentiæ seu Absolutionis Sacramentum, quando & quoties post Baptismum fuerimus lapsi, ad salutis portum seu gratiam Dei possimus rursus pertinere: de eo ipso agemus porrò in præsentiarum, quatenus fauore diuino licebit. Sed priusquam ad Conuersionis huiusce nostræ partem præcipuas descendamus;

Anabaptista mus, paucis refellendi nobis sunt Anabaptistæ, *rum errore* vt qui, inter cætera doctrinæ suæ portenta, Pœnitentiam apertè reijciant, negentque (Nouatianorum ac Catharorum instar) Baptizatis in peccata prolapsis superesse condonationem. Duos videlicet ij locos ex Epistola ad Hebræos scripta proferunt, quibus opinionem suam tuentur: quorum prior quidem, capite sexto: at posterior 10. legitur. Sic verò prior habet: Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilo minus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habètes.

Hic Paulus nequaquam Baptizatis ipsam negat adimitque Pœnitentiam, sed solum Anabaptisma contra Anabaptistas reijcit. Nam omnia verba hæc de Baptismi Sacramento intelligenda veniunt. Q. D. ille verbis & breuissimis & apertissimis: Si qui post Baptisma peccarunt, ij nullo pacto rebaptizari debent. Causa est, quia mortem filij Dei refert Baptismus. Is autem semel duntaxat mortem gustauit. Ergo & Baptismus non nisi semel tantum suscipiendus est. Alioquin enim qui rebaptizatur, denuò crucifigit filium Dei.

D. Pauli locus explicatur.

Porro alter locus, qui pœnitentiam tollere videtur, ad hunc habet modum: Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulationis, quæ consumptura est aduersarios. Neque hic verè pœnitentiam negat Apostolus: sed hoc solum dicere vult, Christum posthac non ultra ad saluan-

Heb. 10.

saluan-

saluandum rediturum, sed ad iudicandum: Non dicit, Non relinquitur peccantibus agnita iam veritate poenitentiae locus: sed dicit, Nulla a modo pro peccatis hostia relinquitur. Loquitur autem sic ut excitet corda nostra, quò cum timore ac tremore salutem nostram operemur.

Vtrobique ergo turpiter errant Catabaptistae, & quotquot praeterea opinionis huius impiae, vel olim fuere vel hodie etiamnum sunt. Quò autem Baptizatis prolapsis poenitentiae referretur beneficium, plurimis in locis Noui testamenti scripta testantur: sed in primis Paulus 2. Corinth. 2. Galat. 6. Petrus item Act. 8. 2. Pet. 3. & Ioannes in priori sua cap. 1. 2. atque Apocalyp. 2. Ne adducamus interim alios locos, veluti Ezechiel. 18. Ioel. 2. Matthaei 18. Lucæ 15. Ioan. 8. & id genus infinitos. Posteaquam itaque certò constat, gratiam expositam esse lapsis resipiscentibus, ad rem ipsam iam rectà accingemur.

In treis potissimum partibus praecipuas diuidemus Concionem hanc nostram. Primò quidem docuimus paucis, quid Absolutionis seu Poenitentiae Sacramentum sit. Secundò explicabimus, eam quae ea Sacramentum sit & dicatur. Postremò declarabimus, quidnam requiratur in nobis ad Sacramentum hoc solido cum fructu percipiendum. Dum verò hæc tria ordine & compendiosè & luculenter exponemus, vos sedulo animaduertite.

Principiò igitur, ut à primo auspicemur, est Poenitentiae seu Absolutionis Sacramentum, per quod Poenitens à Sacerdote tanquam publico Christi & Ecclesiae ministro absoluitur ab omnibus peccatis suis, Christo quæ ac Ecclesiae reconciliatur. Dicitur autem Sacramentum Poenitentiae, quod eius vis

L 2 nulli,

Loci scripturae prolapsis poenitentiae referuari atque testantia.

Concionis huius de poenitentia in tres partes diuisio.

I. Poenitentiae seu Absolutionis sacramenti quid.

*Cur Sacra-
mentū hoc du-
pliciter nomi-
ne & pœnitenti-
æ & Absolu-
tio dica-
tur.*

nulli, nisi peccatori verè pœnitenti contingat: Absolutionis verò vocatur Sacramentum, quòd pœnitens peccator à peccatorum vinculis per illud absoluetur. Hæc plana & aperta sunt, nec explanatione prolixiori indigent: atq; etiã si quæ obscurius adhuc dicta videantur, ea tamen ex secundo longè euadent certissima euentissimaq;.

*Pœnitentia
seu Absolutio
cur Sacra-
mentū & sit
& dicatur.*

Ad secundum ergò veniẽmus nunc, ecquur mirum & quomodo Pœnitentia seu Absolutio sic dicaturq; Sacramentū. Sacramentū igitur ea & est & dicitur, q̄ (vti Sacramenta oĩa) certò constet tū Verbo, tum Elemento. Verbum quidem, ipse Absolutionis tenor est: nempe, Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Nam hæc totius Absolutionis est summa, quum præcedentia interim precationes potius pro resipiscente sint. Hoc autem Verbum proxime accedit ad Absolutionis Christi exemplar. Sic enim is simplicissimè peccatores absoluit: Remittuntur tibi peccata tua. Matth. 19. Sed fundatur ad hæc idem instituto & verbo Christi, sic ad Apostolos atque horum successores Sacerdotes inquit: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorū retinueritis, retenta sunt. Ioan. 20. Et Matth. 18. Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Cæterum Elementum seu signum visibile huius Sacramenti, Impositio manuum est, siue externa Verbi pronuntiatio. Hæc quidem, pronuntiatio inquam Verbi externa, Deum intus in conscientia absoluentem & remittentem significat. Nam quòd dicit Sacerdos, Ego te absoluo, perinde

*Externa ver-
bi pronuntiatio
210.*

inde est ac si expresse dicat, Ego vice Dei te absoluo: aut, Deus ipse per me te absoluit, qui est Pater & Filius & Spiritus sanctus. Illa verò, impositio inquam manuum, indicat, manum Dei (hoc est, virtutem diuinam seu Spiritus sancti gratiam, emundantem ac sanctificantem peccatorem) Sacramento efficaciter adesse ac cooperari. Deinde etiam manuum impositio apud Veteres reconciliationis symbolon fuit: ideoq; quum poenitenti inter absoluendum manus imponitur, signum est, ipsum iam & Deo & Ecclesie esse reconciliatum. In summa: Omnia huc referuntur, vt intelligat Poenitens, virtute meritoq; ac beneficio Christi remitti sibi peccata.

Manuum impositio super poenitentem

Nunc consideremus porro, quidnam requiratur in nobis ad Absolutionis Sacramentum verè & cum fructu percipiendum. Poenitentia scilicet in nobis requiritur, vt & supra obiter diximus. Nam eum in finem Sacramentum hoc, Poenitentiae Sacramentum appellatur. Est autem Poenitentia, vera conuersio peccatoris ad Deum: vel, ingens animi cruciatus & dolor ob patrata scelera, seria commissorum detestatio, firmumq; adeò decretum vitæ castigatoris. Sùt hodie, qui duas duntaxat Poenitentiae parteis constituunt, Contritionem scilicet & Fidem: verùm enim uerò nò propriè pars est Fides, sed totius potiùs Poenitentiae radix ac basis, quemadmodum & omnium in genere bonarum actionum. Patres verò Ecclesiastici treis ferè partes Poenitentiae tradiderunt nobis, Contritionem nimirum, Confessionem, & Satisfactionem. Has igitur & nos in praesentiarum retinebimus: & ita quidem de ijs agemus, vt nemo iure offendi possit. Precor itaque, vt patienter simul & attentè me audiatis.

Manuum impositio apud veteres reconciliationis symbolon fuit.

III.

Absolutio quomodo verè & cù fructu percipiatur.

Poenitentia quid.

Poenitentia partes tres.

I.

*Contritio.**Contritio
unde orias
tur.*

Contritio, vehemēs animi tristitia est ob commissa peccata & offensum Deum, cum firmo proposito vitæ commutandæ in melius & ampliùs non peccandi. Hæc oritur primò, ex agnitione seræ & ipsius peccati & commeritæ pœnæ: secundò ex intima protentaque expensione acceptorum Dei beneficiorum: postremò, ex consideratione flagranti diuinæ bonitatis, omnibus verè respicientibus adhuc paratæ. Vt verò afficiamur serio huiusmodi agnitione & peccati & supplicij commeriti, vt item contritione verè accendamus, vt in Domini quoque misericordiam fiduciam plenè resumamus, vt denique correctiorem vitam ex animo meditemur, id omne à Deo promanat. Nam is pœnitentiam in nobis & auspicatur & format. 2. Timothæi 2. idque externè quidem per Verbum suum, hoc est, cum comminationes, tum promissiones: internè verò per Spiritum sanctum, singulos nempe salutare huiusmodi motus afflatu suo diuino in cordibus nostris excitantem atque efficientem. Vt ergo Contritio vera in nobis oboriatur, & Verbū Dei sedulò audire, & Domini Spiritum precibus ardentibus ambire debemus.

II.

*Confessio
quid & quos
triplex.
Interior.
Fraterna.
Sacramentalis.*

Cæterum Confessio, commissorum agnitionumque peccatorum humilis ac sincera est detectio. Est autem hæc triplex, Interior nimirum, Fraternalis, & Sacramentalis. Prima fit ac fieri debet ipsi Deo, idque quotidie: secunda Proximo, quoties videlicet hunc offendimus: tertia, Sacerdoti ipsi tanquam publico Ecclesiæ totius ministro, quoties nempe vel enormium letaliumque criminum nobis sumus consciij, vel ad sacram Synaxim accedere decreuimus. De prima quidem habemus

mus tum alibi passim, tum Psalm. 32. & 1. Ioan. 1. De secunda autem, Matt. 5. & Iacob. 5. quanquam posterior locus ad Sacramentalem etiam commodè referri queat. De tertia verò, Matth. 16. 18. Ioan. 20. Nam in locis his (præsertim duobus) dedit Christus Apostolis, ac proin & Sacerdotibus, potestatem peccata & remittendi & retinendi: remittendi nimirum pœnitentibus, retinendi contra im pœnitentibus. Sed dixerit hic quispiam: Audio absoluendi ligandique potestatem, ac confitendi mandatum non audio. Qua ergo auctoritate enuncies, confitendum esse Ecclesiæ ministris? Facilis profectò est responsio. Etsi enim litera tenus nulla Confessionis huius in locis iam iam citatis mentio sit, re vera tamen ea remittendi retinendique potestati includitur. Nam quomodo exercere potestatem hanc Sacerdotes possunt, nisi intelligant sciantque, ecquibus debeant vel remittere vel retinere? vnde verò intelligent isthuc, nisi homines peccata sua confiteantur ac enumerent? quum præsertim non peccata omnia manifestè committantur, sed & pleraque delignantur occultè, quæ tamen non minus faciunt animam quam manifestaria illa, ideoque & iudicio & remissione opus habeant. Hinc inquam satis colligere est, necessariam esse confessionem & enumerationem delictorum coram Sacerdote. Enumerari autem debent peccata, quæ diligenter cogitanti & sese excutienti veniunt in mentem: quæ verò non succurrunt, generali Exomologesi rectè includuntur, perindeque ac confessa remittuntur. Non quidem nimis anxie enumerari peccata debent: sed cauendum tamen interim, ne quod letale præsertim

Sacerdoti confitendum, eos sacris literis asseritis.

Delictorum enumerationem coram sacerdote.

aut enorme dedita opera supprimatur. Nam id qui fecerint, ij neque Deum neque Dei vicarios fefellerint, sed semetipfos: iuxta illud Prouerb. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordi-

Confessionis sacramentalis, que fit sacerdoti, fructus plurimi am consequetur. Quò verò commendatiorem sibi omnes confessionem hanc habeant, non pigebit recensere obiter potissimos eius fructus. Primò videlicet frangit illa superbiam mentis nostræ, nos- que humiles contrà facit: dum inquã spontè nosmet apud hominem abijcimus Dei causa, eiq; summo cum rubore & facta nostra & arcanas etiam animi cogitationes prodimus. Secúndò autè facit ea nos peccata nostra intelligere, vt sciamus qd peccatũ, qd non peccatũ sit: ne non peccatũ pro capitali habeamus, capitale cõtrà pro nullo. Tertio verò tribus malis pestilentissimis medetur, securitati nempe, gloriæ de peccatis, & desperationi: securitati quidẽ, ne peccata tanquam leuicula negligamus, nimiumq; Dei bonitate nitamur: gloriæ autem, ne de peccatis aliquibus tãquam gloriosis facinoribus gloriemur, nobisq; placeamus: desperationi denique, ne propter criminum quorundam grauitatem diffidamus diuinæ clementiæ, desperemusq; de venia. Postremò, dum confitemur Sacerdoti, non solùm consilio exhortationeq; & cõsolatione eius iuuamur, verùm etiam (præter ipsum Absolutionis beneficium) serua eiusdem præcatione apud Deum prouehimur. Quæ sanè Confessionis commoda vel sola permouere omnes ad amplectendam suscipiendamq; eam possint, etiam si nihil prorsus de ea haberent sacræ literæ.

Confessio sacramentalis summè necessaria.

III.

Satisfactio, nimirum. Restat iam tertia Pœnitentiæ pars, Satisfactio. Verùm ne quis offendantur statim Satisfactio-

factionis vocabulo, vt quo hodie apud plerosque nihil sit detestabili⁹ & exosum magis, obseruandū est, duplicem esse Satisfactionem. Altera quidem est, qua nobis peccatorum nostrorum remittitur culpa, mortisq; æternæ pœna aboletur: Hæc solius Iesu Christi constat meritis, eiq; vni tribuenda venit, quippe qui propitiatio est & pro nostris & pro totius mundi peccatis. 1. Ioan. 2. atque per huius Satisfactionis vim remissionem peccatorum consequimur, vt in Baptismo, ita & in hoc Absolutionis Sacramento. Cæterum altera, de qua videlicet hic loquimur, primò quidem in peccati fuga & vitæ nouitate consistit: deinde verò in pœnitentiæ operibus, oratione, lachrymis, ieiunijs, vigilijs, eleemosynis, alijsq; id genus pijs exercitijs, vel vltro susceptis, vel à Sacerdote pro ratione impositis. Fuga autem peccati & vitæ nouitas ob id requiruntur. quòd citra vtranque vel non remittantur peccata, vel remissa reuocentur, vt grauius certè post puniantur. Lucae 11. 13. Ioan. 5. quò & Concio illa D. Ioannis Baptistæ Matt. 3. vnicè spectat: Opera verò illa Pœnitentiæ eò faciunt, vt reliquiæ peccatorum excendantur, inueterata peccandi consuetudo exercitijs huiusmodi profigetur, pœnæq; temporales peccatis nostris debita vel rollantur omninò, vel mitigètur saltem. Nam remissa peccati actualis culpa, non statim omnis etiam temporaria pœna aboletur: vt nempe videre est in Dauide. 2. Reg. 12. & in populo Israelitico. Exodi 32. Num. 14. sed omnium maximè in incommodis nostris corporalibus ac morte ipsa, quæ scilicet etiamnum peccati originalis pœnæ temporaria sunt. Non ab re igitur inquit Sapiens Eccles. 3. De peccato propitiato noli esse sine metu, ne-

Satisfactio duplex.

Satisfactio in quibus consistat.

Fuga peccati, vitæq; nouitas.

Opera pœnitentiæ.

que adicias peccatum peccato. & cap. 21. Fili peccasti: ne adicias iterum: sed & de præteritis precare Dominum, vt tibi remittantur. In summa: Nihil aliud per Satisfactionem sentimus hic, quàm fructus pœnitentia dignos, seu commissis peccatis aduersa facere. Ne verò quem offendat, quòd pœnitentiæ opera ad mitigandam tollendamue pœnam temporariam conducere diximus: sciamus necesse est, placere hæc Deo, & mitigare illum aut tollere omninò propterea pœnas temporales. 3. Reg. 21. Ioan. 3. Ioel. 2. 1. Corinth. 11. non ex sua ipsorum dignitate, sed quòd in & ex fide fiant, quodque satisfactione ac meritis Christi cum primis nitantur. Vocantur autem Satisfactio, vt & hoc addamus obiter, tum quòd sacræ literæ ea in nobis requirant, tum quòd Ecclesiæ (quæ & ipsa peccatis nostris offendit) iisdem satisfiat.

Quicumque iam (vt vela tandem contrahamus) hæc recensitas treis Pœnitentiæ parteis pro virili exercuerit, ei verè Christi satisfactio applicabitur in Absolutionis Sacramento, hoc est, omnimodam ille peccatorum suorum remissionem gratis in Christi sanguine consequetur. Quod reliquum igitur est, pœniteat nos omnes ex animo peccatorum, confiteamur peccata nostra, præterita lugeamus, à futuris sedulò caueamus, & vitæ pietatem vrgeamus modis omnibus: quò sic & in hac vita per Christum remissionem peccatorum impetremus, & vitam cum illo possideamus demum æternam. Quando verò à Domino Pœnitentiæ veræ donum proficiscitur, clamemus omnes cum Hieremia: Conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus. Ierem. 31. clamemus & cum Dauide: Miserere mei Deus secundum magnam
mife-

*Pœnitentia
veræ donum
à Deo.*

miserericordiam tuam. Et secundum multitudinem
miserationum tuarum dele iniquitatem meam.
Cor mundum crea in me Deus, & spiritum re-
ctum innoua in visceribus meis. Redde mihi læ-
titiã salutaris tui, & spiritu principali confirma
me. Psalmorum 50.

CONCIO XXII.

De S. Eucharistiæ Sacra- mento.



IN Concione nupera de Absolutionis
seu Pœnitentiæ Sacramento pro inge-
nioli nostri viriculis egimus: Ac expli-
cauimus quidem primò, quid ipsum
Absolutionis Sacramentum sit, nem-
pe in quo & per quod peccator pœnitens à Sacer-
dote virtute verbi Christi absoluatür à peccatis
suis & Christo reconcilietur: secundò autem o-
stendimus, ecquur Absolutio & sit & dicatur Sa-
cramentum, nimirum quòd Verbo confet & Ele-
mento, quodq; Verbum quidem ipse Absolutio-
nis Sacerdotalis existat tenor, Elementum autem
impositio ipsa manuum sit: tertio verò docuimus,
quid in nobis ad dignè Sacramenti huius grari-
am consequendam requiratur, Pœnitentiã videli-
cet seu vera ad Deum conuersio, hoc est, Contri-
tio, Confessio, & Satisfactio: quartò porrò singu-
las hæc Pœnitentiæ partes delineauimus utcun-
que, Contritionem scilicet esse veram ob com-
missa peccata & offensum DEVM tristitiã
cum decreto firmo non peccandi amplius: Con-
fessio

*Habitæ Con-
cionis de abe-
solutione
summaria re-
petitio.*

feſſionem autem eſſe humilem ſynceramq; com-
miſſorum & agnitorum ſclerum (tum corā Deo,
tum coram læſo fratre, tum corā Sacerdote ipſo)
detectionem: Satisfactionem verò in pœnitentiæ
fructibus conſiſtere, ac à fide pendere & ſolis Chri-
ſti meritis vim eius omnem.

Cæterum quoniã ſacroſancta Euchariftia (quã
Cœnam Dominicam appellat D. Paulus) proxi-
mè Sacramentum Abſolutionis ſequitur, de ea in
præſenti agemus aſpirante auctore eius Chriſto.
Eſſi autem Sacramentum hoc plerunq; præcedere
Sacramentū Pœnitentiæ ſolet apud alios, id quod
minimè improbatum volumus: conuenientius ta-
men nobis eſſe videtur, vt ſubiungatur illi. Nam
nec dignè citra præcedentem pœnitentiam parti-
cipare poſſumus mœſæ Dominicæ, & certiores hæc
nos de accepta remiſſione peccatorum facit, a-
deoq; & munimur ea contra peccata, ac ad veram
vitæ innocentiam inflammamur.

*Cur S. Eus-
chariſtia Sa-
cramentum
ſubiungatur
hic pœnitenti-
æ Sacra-
mento.*

*Concious
huiusce par-
titi in par-
tes ſex.*

Vt igitur cum fructu audiamur hic, exponemus
primò, quidnam ſacra Euchariftia ſit: ſecundò do-
cebimus, à quo & quibus verbis ea ſit inſtituta: ter-
tiò commonſtrabimus, ecquod ſit Sacramenti hu-
ius Verbum & Elementum: quartò declarabimus,
in quem ſinem myſteriū hoc inſtitutum ſit: quin-
tò oſtendemus, in quo conſiſtat digna eius ſum-
ptio: ſextò ac poſtremò explicabimus, quinam fru-
ctus dignam illius perceptionem comitentur. Dū
verò nos reddemus hæc ordine, vos ſumma quæ-
ſo animum aduertite diligentia.

I.
*S. Eucharis-
tia quid.*

Principiò itaque, vt à primo inchoemus: eſt Eu-
chariſtia ſeu Cœna Dominica, ſub ſpeciebus pa-
nis & vini, verum corpus ac verus ſanguis Domi-
ni noſtri Ieſu Chriſti. Hanc quidem definitionem
multi

multi hodie euertere conantur, sed perstabit tamen ea contra omnes portas inferorum. Sunt inquam, qui negent prorsus Eucharistiam re vera Christi esse corpus & sanguinem, sed significare duntaxat corpus & sanguinem Christi sentiāt: ita, vt vtraque species & sit & maneat panis ac vinū: Sunt alij interim, qui credant quidem Eucharistiam verè corpus & sanguinem Christi esse, sed si rectè ea vtamur, si verè credamus, si minister seu sacerdos iustus sit, siq; communicans dignè accedat: alioqui esse & manere dicunt panem & vinum, vt antea. Sunt rursus alij, quibus persuasum quidem sit, esse illam verum corpus & sanguinem Domini, sed qui nihilò minus panis viniq; substantiam manere statuunt: vt scilicet in vel sub pane ac vino corpus sanguisq; Christi sit. Verùm sanè omnes hi hallucinantur turpiter, vt cunque alias opinioniones suas detendere conentur. Non enim dixit Seruator noster, panem & vinum ostendens, Hæc figura corporis & sanguinis mei est: sed, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Nec dixit, Hoc est corpus meum & sanguis, quando ritè digneque à dignis & porrigitur & accipitur, alioqui non: sed dixit simpliciter, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus. Neq; dixit, Hoc simul & panis & corpus meum est, Hic calix iuxta est & vinum & sanguis meus: aut, In pane hoc corpus meum, in vino hoc sanguis meus est. Cōstanter ergo simpliciterque credamus nos, verum corpus & verum sanguinem Christi esse sacram Synaxim, nec quicquam de panis viniq; substantia post benedictionem solennem remanere, nisi solam externam speciem. Conuertitur autem seu transsubstantiatur panis in corpus Christi, & vinum in eius sanguinem: nō

Errores circa S. Eucharistiam reuelluntur.

De S. Eucharistia quomodo verè & rectè credendum.

Transsubstantiatio.

vi no-

vi nostri vsus, non nostrę fidei merito, non probitate vel Sacerdotis vel Communicantium: sed sola potentia Verbi Christi, qui quicquid vult potest in cęlo & in terra. Vt igitur Christi verbum irrevocabile est, ita ipsa quoque Eucharistia irrevocabiliter verum est manetque Christi corpus & verus eius sanguis: siue sumamus, siue non sumamus: siue credamus, siue non credamus: siue boni sint Porrectores & Acceptores, siue mali. Sola inquam potentia omnipotentis verbi Dei efficit & dat nobis Sacramentum hoc, nihil omninò aliud. Huic ergo vni nitamur, si sapimus: rationisque interim humanę iudicium missum faciamus, tum hic, tum in alijs arduis religionis nostrę articulis.

II.
S. Eucharistia institutio.

Iam secundo, à quonam Eucharistia ipsa instituta sit, satis in præcedentibus explicatum est: nimirum ab ipso Christo, cuius ea est & corpus & sanguis. Sed verba institutionis audiamus. Sic leguntur hæc Matthæi 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Corinth. 11. Cœnantibus eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: *Accipite & māducate, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam cōmemorationem.* Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorū. Hoc facite, quotiescūq; bibetis, in meam cōmemorationem.* His inquam verbis, quæ nos summatim collegimus, Dominus Eucharistia Sacramentum instituit. Atque plana & aperta ea sunt, vt nullo proin tropo ac schemate citra maximam ipsius institutoris cōtumeliam possint debeantue obuolui.

Verum veniamus nunc ad tertium, vt Verbum scili-

scilicet & Elementum Sacramenti huius ostendamus. Verbum igitur illud ipsum est, quod Christus pronunciauit in eius institutione: nimirum, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, Hic est sanguis meus noui testamēti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Elementum verò seu externum signum, panis vin- que species sunt: species inquam externæ, nō ipsa panis & vini substantia. Cur autem Christus sub solis panis viniq; speciebus complecti ac dare corpus & sanguinem suum voluerit, multæ adferuntur causæ, verum nos duas duntaxat (easq; præcipuas) recensēbimus: Primò nempe ob id, quòd panis naturali effectū alacritatis confirmetq; corpus, vinū item & sanguinem in carne operetur & animū hominis exhilaret: Deinde verò & ea de causa, quòd panis ex multis conficiatur granis, vinumque ex multis acinis colligatur ac confluat. Nam ita ad umbrare insignes illos effectus voluit, quos in corpore sanguineque ipsius deprehensuri essent credentes omnes: nimirum alimentum conseruationemque efficacissimam animæ, vitam ac hilaritatem conscientie, compactionemque seu conglutinationem indissolubilem electorum in corpus suum mysticum, hoc est, communionem meritorum bonorumque suorum omnium. Sed de effectibus huiusmodi infra dicemus opportunius. Si quis verò nouisse hic gestiāt, ecquid Dominus corpus & sanguinem suum speciebus prædictis texerit, non autem nudè seu visibiliter reliquerit: respondemus compendiosè, fieri id duobus præsertim nominibus. 1. vt fides nostra exerceatur, quippe quæ de inuisibilibus est. 2. ne abhorreat animus ad carnis sanguinisque visibilis conspectum.

Illud

III.

*S. Eucharia
stia verbum
& Elementum.*

*Cur Christus
sub solis
panis viniq;
speciebus com-
plecti ac da-
re corpus &
sanguinem
suum voluerit.*

*S. Eucharia
stia effectus
insignes.*

*Cur Dominus
corpus
& sanguinem suum
sub
speciebus panis
& vini
texerit.*

Illud autem non minus atq; præcedentia obseruare nos oportebit, quòd et si speciei panis tribuitur peculiariter corpus, & vini speciei sanguis: re vera tamen, tam sanguis Christi sub panis specie sit, quàm corpus ipsum: sub specie item vini tam corpus eius sit, quàm ipse sanguis: ita, vt tam sub altera specie totus Christus sit, quàm sub vtraq;. Non enim diuidi ille potest. 1. Corinthe. 1. Vellem igitur curarem potius hodiè, non quantum in specie, sed quantum in re, adeoq; quàm dignè sumeremus. Eadem est ratio (inquit D. Hilarius) in corpore Christi, quæ in Manna præcessit: de qua dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius:

Christus totus tam est sub altera specie quàm sub vtraque. Hilarius.

Alterà specie tantum sumitur, quantum vtraq;.

nec qui minus parauerat, habuit minus. Hæc ille. Qui ergo vtranq; speciem sumit, non accipit plus quàm qui sumit alteram: & qui alteram duntaxat sumit, non minus accipit quàm qui vtranq;. Quòd autem nonnulli Christi institutum hic admodum vrgent, communionemq; sub altera specie pugnare cum eo adferunt: respondemus nos simpliciter, non magis communionem hanc cum instituto Christi pugnare, atque Apostolorum in solo Christi nomine baptizatio cum Christi instituto (Matthæi 28.) pugnavit. Si quis verò contentiosus omnino esse velit, malumus nos cum Ecclesia sub altera communicare specie, quàm contra Ecclesiam proscindere soluereq; sacrosanctum vnitatis Christianæ vinculum: donec scilicet Spiritui sancto & illi aliud visum sit.

III. Cæterum his obiter pertractatis, quarto porrò s. Eucharistia accingemur, in quem nempe finem instituta sit à Christò Eucharistia. In hunc videlicet finem instituta ea est, vt passionis & mortis ipsius recorderetur, eamq; annunciemus perpetuò. Sic enim ipse in-

inquit: *Hoc facite in mei commemorationem.* Et Paulus: Quotiescunq; manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Vult autem Dominus ob id meminisse nos suæ passionis ac mortis. 1. vt ea recordatione fidem nostram subinde & excitemus & confirmemus: persuasi scilicet, ipsius mortem esse redemptionem ac vitam nostram, ipsius sanguine ab omnibus nos peccatis & emundatos esse & etiamnum emundari. 2. vt ad gratiarum actionem ipsi pro tam ineffabili beneficio iugiter offerendam incitemur. 3. vt ad peccatorum abdicacionem, bonorumque contra operum ac innocentiam studium animemur: cogitantes nimirum seruo, nos iam factos esse membra Christi, eoq; actiones etiam deceretariæ capite nostro dignas, hoc est, prorsum Christianas. 4. vt ad fraternam quoq; charitatis inflammemur officia: sic nempe totos nos impèdentes proximis, quemadmodum ipse Dominus sese totum nobis impendit: atq; huc ipsum etiam panis viniq; mysterium hortari nos debet. Nam quemadmodum multa grana vnus fiunt panis, & acini multi in vnum vinum confluunt: sic & multi nos corpus vnum per Christum facti sumus, alijq; aliorum membra: ideoq; par est, vt membrorum instar affecti mutuo simus, simus inquam vnanimis, humiles, mansueti, fraternaq; præditi charitate. quod & Paulus respicit, dum ait: Vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. 1. Corinth. 10.

*Passionis ac
mortis Christi
scilicet cur nos
meminisse oporteat:*

Porrò autem quantum quod attinet, quoniam V.
videlicet pacto dignè sumi debeat sacra Synaxis: S. Eucharistia
requiritur ad dignam eius perceptionem. 1. vt infirmitatem
uitatem nostram & peccata ex animo agnoscamus, esto dignè sumi
M agni-menda:

agnitorum nos verè pœniteat, ea Sacerdoti fideliter confiteamur, constansque vitæ castigatiōis sumamus decretum. 2. vt similitatem omnem odiumq; eximamus animo, læsoq; vicissim & lædenti reconciliemur, ac charitatis viscera induamus. 3. vt & fide solida simus præditi, non solum vt corporis sanguinisq; Christi in Eucharistia credamus veritatem seu præsentiam, verum etiam vt statuamus certò, corpus ipsius pro nobis traditum esse in mortem, ac sanguinem in remissionem peccatorum nostrorum effusum, perque meritum redemptionis eius remitti nobis etiamnum gratis peccata. Si igitur his tribus notis insigniti fuerimus, dignè percipiemus mysterium hoc sacrosanctum, adeoque & verè interim annunciabimus mortem Domini.

VI.

S. Eucharistia dignè percepta fructus.

Postremò verò, quod ad fructus perceptæ dignè Eucharistia spectat: confirmamur ea in fide, munimur aduersus peccata, ad bonorum operum studium extimulamur, & ad charitatem inflammamur. Deinde verò ac cum primis (vnde nimirum effectus isti in nos dimanant) sic per illam incorporamur capiti nostro Christo, vt vnum quodammodo cum ipso siamus, ideoq; maneat ille in nobis & nos vicissim in eo, inter item electos suos nos in die nouissimo sit excitaturus, atq; vita tandem gloriaque donaturus æterna. Ioan. 6. Sed adhæc & mystico Christi corpori, hoc est, Sanctis ac ceteris omnibus, per dignam sumptionem ad sociamur, ideoq; omnium illorum beneficia spiritalia nobis communia fiunt. Psal. 118. 1. Corinth. 12.

S. Eucharistia dignè sumptione sanctis ad sociamur.

Hæc in præsentiarum de venerabili diuinissimoq; Eucharistia Sacramento proponere vobis placuit. Vos modò, quod audistis, & candidè in-

terpretemini, & ruminare subinde, & exercete re ipsa sedulo. Omnes verò sic idem hoc sacramentum veneremur, sic quoque eo utamur, vt redemptionis Christi fructum in nobis iugiter sentiamus. Amen.

CONCIO XXIII.

De iugi Ecclesiæ Sacrificio, seu Missah.



Vdiuistis proximè de tremendo illo sacræ Synaxeos seu Eucharistiæ Sacramento: & inter cætera quidem expresse audiuistis, hanc sub speciebus panis & vini esse communicationē veri corporis sanguinisq; Dñi nostri Iesu Christi. I. Cor. IO.

Iam quæstio est, Num hæc eadem Eucharistia insuper & Missah seu Sacrificium sit ac esse possit. Si verò hic Evangelicos (quos vocant) consulamus, negatiuè omninò respondebunt. Dicunt enim primò, non dixisse Christum, *Sacrificate: sed, Edite & bibite.* Deinde aiunt etiam, non posse sacramentum esse Sacrificium, quòd non sit eadem vtriusque ratio: Sacramentum nanque esse quòd à Deo nobis donetur, Sacrificium autem esse quòd nos donemus vicissim Deo. Verùm nos contra dicimus, tam sacrificium esse Synaxim, quàm Sacramentum: neq; obstarè illorum obiectiones. Non solum autem istuc dicimus, sed & euincemus: idq; de sacrificio & sacrarum literarum & vetustissimorum Ecclesiæ Patrum concordia auctoritate. Sed primò tio, tum ex omnium probemus oportet, Christum summum sacerdotem non in Cruce dumtaxat *ex patris*

taxat obtulisse corpus & sanguinem suum, verum etiam antè in Cœna vltima. Nam hoc si euidens facere poterimus, facile consequetur, sacrificium esse Eucharistiam, ideoque & nobis offerre eandem licere: quum præsertim Dominus exertèntos facere iusserit, quòd ipsemet antè fecit. Et sic quidem futurum spero, vt & Misoliturgi minus posthac rideant aspernenturque; Missam, & nos magnificentius de eadem porro sentiamus. Precor autem vos omnes, Auditores optimi, vt patienter me audiat: nec iudicetis damnetisue sententiam nostram prius, quàm Conciunculæ huius nostræ audieritis finem. Tum sanè si quis offendetur, ferendum id mihi est; at huc enitar pro virili omni, ne mea culpa aut iure offendatur.

Christi sacerdotium secundum ordinem Melchizedec.

Vt igitur ad institutum veniamus: Testatur David de Christo, quòd huic Deus Sacerdotium dedit secundum ordinem Melchizedec. Sic enim inquit Psal. 109. Iuravit Dominus (Christo Domino meo) & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedec. De hoc verò Melchizedec legimus Genes. 14. quòd quum Abraham à cæde regum aliquot reuerlus esset magna cum victoria, Melchizedec Sacerdos Dei altissimi protulerit panem & vinum, ac Abrahæ ipsi benedixerit. In his verbis describitur nobis breuiter, tum Sacerdotium, tum Sacrificium quoque Melchizedechis: Sacrificium inquam, nempe Panis & Vinum. Nam in eum solum finem vtrunque protulit, non vt Abrahamum & suos (quemadmodum fingunt Misoliturgi) reficeret, sed vt offerret seu sacrificaret Deo ob victoriam Abrahæ ipsi diuinitus concessam: ideoque signatè additur in Genesi, Erat enim Sacerdos Dei altissimi. Quum igitur Chri-

Melchizedec sacerdos Dei.

Sacrificium Melchizedec.

Misoliturgorum mendacium.

Christus futurus fuerit Sacerdos secundum ordinem Melchizedec, consequitur necessariò, quòd & ipse Panem Vinumq; oblaturus esset. Alioqui enim non responderet illius Sacerdotio: maximè, quando de nullo alio Melchizedechis sacrificio Scriptura sacra meminerit. Iam extra dubium omne Iesus noster verè Christus est, ideoq; & Sacerdos ille æternus est secundum ordinem Melchizedech: quemadmodum ipse etiam Paul. Heb. 5. constantissimè testatur. Consequitur itaq; ineuincibiliter, & ipsum (Iesum inquam) obtulisse secundum ordinem Melchizedec Panem ac Vinum: verum, quoniam is veritas ipsissima & fuit & est, non simpliciter panem & vinum, sed sub panis specie verum suum corpus, sub specie item vini verum suum sanguinè. Atqui is nusquam nec vllò vnquam tempore Panem & vinum protulit, nisi in Coena sola. Consecrarium ergo est, obtulisse illù in Coena corpus & sanguinem suum sub speciebus panis ac vini: obtulisse inquam Deo Patri, non protulisse tantùm ad edendum & bibendum. Nam si non obtulisset, non respondisset Sacerdotio Melchizedehico. Sed hic mirum in modum detorquent Misoliturgi locum illum Gene. 14. paulò antè citatum, quò scilicet huiusmodi Melchizedechis sacrificium negare possint. Opponemus igitur nos iniustè illorum negationi vnanimem intellectù, perpetuumq; consensum Martyrum ac Patrum antiquissimorum: qui nempe longè vltra mille annos ita & intellexerunt & interpretati sunt scripturam hanc, quemadmodum eam etiamnum hodie intelligit ac interpretatur Ecclesia: quosq; non verisimile est, quod nunc Catholicis affingunt aduersarij, quæstus gratia deprauasse sacras literas,

Iesus obtulit panem & vinum secundum ordinem Melchizedec, in Coena.

Misoliturgi detorqueunt scripturas Patrum quò longè ante mille annos vixerunt ex sacris literis testimonia.

Cyprianus.

Christique reconciliationem & merita obscurare vnquam voluisse. Prodit itaque principio sanctissimus ille martyr Cyprianus, sic Lib. 2. Epist. 3. scribens: In sacerdote Melchizedech, sacrificij Domini Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod scriptura diuina testatur & dicit: Et Melchizedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchizedech typum Christi porteret, declarat Spiritus sanctus in Psalmis, ex persona Patris ad filium dicens: Ante luciferum genui te. Iurauit Dominus & non poenitebit eum, Tu es sacerdos secundum ordinem Melchizedech. Qui ordo utique hic est de Sacrificio illo veniens & inde descendens, quod Melchizedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit: & obtulit hoc idem quod Melchizedech obtulerat, hoc est, panem & vinum, suum videlicet corpus & sanguinem: Hæc ille. Audiamus iam & diuum Chryso-

*Chryso-
stom.*

stomum. Is sic super Genesim ait: Vide, quomodo propter honorem in Patriarcham collatum, insinuatur Sacramentum: obtulit enim ei panem & vinum. Videns typum, cogita orō & veritatem, & admirare scripturam: quomodo superioribus seculis, & ab initio futura præsignata sint. His verò

Ambrosius.

& D. Ambrosius, tum alibi, tum lib. præsertim 4. de Sacramentis cap. 1. subscribit in hæc verba: Cognouimus Sacramentorum istorum figuram Abrahamæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchizedech, neque initium habens, neque finem dierum. Et August. item lib. 16.

Augustinus.

de

de Ciuitate Dei, cap. 22. In sacrificio (inquit) Melchizedech primū apparuit sacrificium, quōd nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longè post hoc factum per Prōphetam dicitur ad Christum, qui futurus aduenturusque fuerat in carnem, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedech. Quia ipse etiā D. Hieron. ad Marcellū sic inter alia scriptū reliquit: Recurre ad Genesim, & Melchizedech regem Salem huius principem inuenies ciuitatis: qui iam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Saluatoris sanguine & corpore dedicauit. In eandem verò sententiam & Eusebius lib. 5. de Demonstratione Euangelica, cap. 3. totus it, dum ad hunc scribit modum: Quemadmodum ille Melchizedech, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificijs corporalibus functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abrahæ benedicit: ita sanè primus ipse saluator ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt Sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale, secundum Ecclesiasticas sanctiones, Sacerdotij munus obeuntes, pane ac vino & corporis illius & sanguinis mysteria repræsentant: quæ sanè mysteria Melchizedech tantò antè spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum imaginibus vsus fuerat, sicut etiam Mosis scriptura testatur, vbi ait: Et Melchizedech rex Salem protulit panes & vinum. Erat autem sacerdos DEI altissimi. Sic Arnobius quoque in Psalmo 110 ait. Hic (Christus) per mysterium panis & vini Sacerdos factus est in æternum secundum ordinem Melchizedech, qui panem & vinum solus obtulit in Sacerdotibus, dum Abraham victor reuer-

*Hieronimo.**Eusebius.**Arnobius.*

teretur de pralio. Sic deniq; & Io. Damascenus lib. 4. Orthodoxæ fidei, cap. 14. inquit: Pane & vino suscepit Melchizedec Abraham ex eadē alienigenarum reuertentem, qui erat sacerdos Dei altissimi. Illa mensa, hanc mysticam præfigurauit mensam: velut & sacerdos ille, Christi veri sacerdotis figuram præ se ferebat & imaginem: Tu es (inquit) sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchizedec. En, vndiquaque audimus, Christum in Cœna etiam obtulisse, non in Cruce duntaxat: & obtulisse non Panem ac Vinum, hoc est, corpus & sanguinem suum. Verùm libet hic & Rabinorum alii quot, qui longo interuallo Christum præcesserunt, adducere hac de re testimonia. Ad hunc itaque modum Rabi Pinhas filius Iair super Numerum scribit, cui & Abraham Auenazara in sua **נפרש**, atque Rabi Iohi conueniunt: Tempore

Messia omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis & vini nunquam cessabit. Quia Melchizedec rex Salem protulit panem & vinum, & Messias est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedec. Et Rabi Cahana super Genesim adeo totus it in hanc sententiam, vnà cum Rabi Iehuda super Exodum, vt de transubstantiatione etiã panis in corpus & vini in sanguinem expresse testetur: ita enim scribit inter alia: In sacrificio quod fiet ex pane, non obstante quòd albur sit velut lac, conuertetur substantia in substantiam corporis Messia: eritq; in ipso sacrificio substantia sanguinis Messia: rubra vt vinum. Erunt item in sacrificio vini, sanguis & caro Messia: & eadem erunt in pane. Quoniam corpus Messia: non potest diuidi. Sic verò Rabenu Haccadosch inter cætera inquit:

Rabinorū testimonium de sacrificio panis & vini.

Transubstantiationem adserunt etiam Rabini.

quit: Hoc est sacrificium (respondit Helias) quod postquam venerit Messias, facient Sacerdotes coram Deo sancto & benedicto. Tunc enim cessabunt omnia sacra, quæ fiebant prius: facient autem sacrificium illud ex pane & vino. En, quomodo ipsi quoque vetustissimi Rabini pro nobis faciant. Cæterum non ex Melchisedechica duntaxat oblatione certè colligimus, Eucharistiam verè esse Missam seu sacrificium: sed & ex ipsiusmet Domini verbis apud Prophetam Malachiam haud obscure probari idem potest. Diuus certè Irenæus martyr & sanctissimus & antiquissimus, qui hic pro nobis loquetur, ita lib. 4. cap. 32. scriptum reliquit: Christus eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens, Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est: & noui testamēti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in nouo testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens: & sacrificium non accipiam de manibus vestris: quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Quid iam hoc quæso elogio clarius adduci pro Missa possit? maximè, quum hanc ille interpretationem ab ipsis Apostolorum discipulis, quorum vixit tempore, didicerit. Atque sic omninò & D. Augustinus intelligit locum eundem, cum alibi, tum lib. de Ciuitate sua 18. capite 35. & libro 19. capite 23. Haud ignoramus

*Irenæus.**Missæ sacrificium, Ecclesie ab Apostolis traditum.**Malachias.**Augustinus.*

verò quàm sese in omnia vertant Misoliturgi, vt deprauent alioq; detorqueant Irenæi verba, vtque oblationis præsertim & offerendi nomenclaturam inuertant: Verùm actum agunt certè, facillimeque adulterina illorum commentatio refutari potest. Potrò aut possemus hic infinita adhuc pro Missâ Catholica adferre testimonia, ex Clemente D. Petri discipulo, ex Dionysio Pauli discipulo, ex Ignatio S. Ioannis Apostoli discipulo, ex Terulliano item, Origine, Cypriano, Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Cyrillo, Eusebio, Gregorio Nazianzeno, Theodoro, Theophylacto, Damasceno, Leone Magno, & plurimis deniq; alijs: sed quoniam temporis angustia præcludimur, superfedebimus ijs nunc: & eò quidem magis superfedebimus, quòd speremus sat iam pijs omnibus esse persuasum, corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis ac vini verè Sacrificium esse, ideoque Missam nequaquam per se tanquam abominationem exhibendam.

*Patres Missæ
sacrificium
asserentes.*

*Missæ minis
me exhibenda.*

*Eucharistia
seu cœna Do-
minica quæ
le sacrificiū.
Christus in
in cœna, quæ
in cruce obtu-
lit corpus &
sanguinem
suum verè.*

Cæterùm dispiciamus nunc porrò, qualenam sacrificium Eucharistia seu Cœna Dominica sit. Quò verò omnia hic & facilius & maiori cum fructu percipiantur, considerandum nobis in primis erit, ecquid differat Christi in Cœna oblatio, ab eiusdem oblatione in Cruce. Ad ipsam quidè substantiam quod attinet, eadem omninò est oblatio vtraque. Nam tam in Cœna, quàm in Cruce corpus & sanguinem suum verè obtulit Christus. Verùm si formæ modiq; ac intentionis habeamus rationem, discrimen quoddam inter vtranque oblationem est. In Cruce enim obtulit sese Christus corporaliter, cruentè, mortaliter, & in satisfactio- nem expiationemque pro omnium hominum pec-

catie

eatis: in Cœna verò, mysticè, incruentè, imparibilibiter, in solam gratiarum actionem, inque commorationem futuri mox sacrificij crucis, sese idè obtulit. Iam offerimus nos Christum in Missah, nõ què admodù ille in cruce sese obtulit, sed quomodo obtulit sese in Cœna. Non igitur tale sacrificium Missah est, in quo Christum cruentè & passibiliter offeramus. Nam excitatus ipse à mortuis, vltra non moritur, Rom. 6. Neque sacrificium huiusmodi existit, per quod à nouo redemptionem nostri & remissionem peccatorum impetrare nõ oporteat. Nam hoc ipsum in Cruce semel peractù est, sufficiens perpetuò ad omnium exhaurienda peccata. Heb. 7. 9. 10. Sed tale sacrificiù est Missah, in quo & per quod rememoratio habeatur eius sacrificij, per quod in Cruce remissionem peccatorum & salutem æternã impetrauit nobis Christus. Eiusmodi item sacrificium est, in quo Patri cœlesti gratias agamus & illius decantemus laudes, & per vnicum illud filij in Cruce sacrificium nos erga se reconciliare dignatus sit. Tale adhuc sacrificium est, in quo filium Dei (à Patre nobis donatù) plena fide apprehendimus, eundemq; in Eucharistia (quò ibi in corporis ac sanguinis sui mysterio sit præsens) Patri Deo sistimus seu proponimus, meritorumque ipsius fiducia oramus & remissionem peccatorum, & quicquid denique ad salutem corporis animæque facit: In quo inquam enixè precamur Patrem cœlestem per Iesum Christum filium eius, vt efficax ac salutiferum in nobis esse dignetur, quicquid idem Christus noster litatione corporis ac sanguinis sui in Cruce meruit impetrauitq; vniuerso mundo: In quo item votis ardentibus petimus, vt indulgentissimus ille Pater

(pro-

Missæ sacrificiū quale.

(propter eundem Iesum Christum Dominum nostrum) à nobis ac toto Christianismo omnia mala propellere, bonaq; contrà omnia nobis largiri, quin & protectionis suæ auxilio nos clemēter munire dignetur: In quo deniq; Ecclesia semetipsam quoq; vnà cū omnibus gratiarū actionibus, laudibus, & precationibus, Deo Patri per Iesum Christū offert, deuouet, ad omnemq; obedientiam astringit. In summa: Non est sacrificium expiatorium aut satisfactorium Missah, sed rememorationis, gratiarum actionis, orationis, laudis, seruitutisq; & obedientiæ sacrificium est. Quòd autem Patres Missam aliquando victimam salutarem vocant, dicuntq; oblati his Domino sacrificijs deleri peccata: id dicunt, non ratione sacrificij, quod in Sacerdotis aut Ecclesiæ actione consistit: sed ratione sacrificij in cruce semel peracti, corporis inquam & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in Eucharistia præsentis. Vt enim Christus Sacerdos manet in æternum, sempiternumq; sacerdotium habet: ita & corpus sanguisq; eius perpetua manent propitiatoria oblatio. Heb. 7. 10. Videre igitur omnes pij hic possunt, quàm immeritò (ne dicam, impiè) Aduersarij calumniantur opus tam sacrosantum: clamitentq;, Christum in eo denuò crucifigi, perq; illud obscurari Christi beneficiū, ac Crucis sacrificio detrahi. Imò verò tota huc Missah spectat, siue vestes, siue gestus, siue verbulā, siue intentionem quoque expendamus: vt Christi mors ac beneficium in ea annuncietur, illustretur, modisq; omnibus glorificetur. Si autem obijciunt nobis illi fortè (vt solent) Missæ abusum: respondeamus, non sumpsisse nos abusum defendendum, sed genuinum piumque eius vsum: respondeamus

item,

*Missæ victimæ salutaris
sue dicatur.*

*Aduersariorum impia
s. Missæ calumnia.
Missæ finis.*

item, etsi nemini sincero abusus probari aut potest aut debet, elumbe tamen esse argumentum ab abusu petitum, neq; rem ipsam seu substantiam ob solū abusum damnari oportere. Si quid ergo abusus irrepsit alicubi, tollatur is per quos id fieri æquum est, aut mitigetur saltem pia popelli institutione: ipsa interim substantia integra illæsaque maneat.

Sed loci ordinisq; iam postulat opportunitas, ut ostendamus paucis quonam pacto ac animo diuino huic Sacrificio interesse oporteat nos omnes, siue Sacerdotes, siue Laicos. Ante omnia igitur animum ab omni terrenarum rerum cura liberum expeditumque adferamus necesse est, quò sic videlicet toti diuinis contemplationibus & orationi vacemus. Mox verò vbi Confessionem auspiciatur Sacerdos, recordari debemus primi lapsus generis humani, eoque vnà cum Sacerdote ipso & nostra peccata (quæ nimirum ex eius lapsus vitio contraximus) coram Deo nostro humiliter ferioque & agnoscere & confiteri & plangere. Hinc, vbi Introitus canitur ac Kyrie eleison, succurrant animo, primò promissiones illæ multifariæ, quibus Deus Optimus Maximus se liberatorem humano generi missurum pollicitus est: dein & ingentia diutinaque Patrum piorum pro aduentu Messieæ redemptoris emissâ suspiria: atque hic oremus interim, ut Deus Pater cœlestis, quemadmodum iam pridem filium suum Iesum Christum in nostri ac mundi totius redemptionem misit, ita & etiamnum eundem in omnibus angoribus nostris velit nostrum esse adfertorem ac patronum; ob eiusq; merita misereri nostri æternum dignetur. Deinde, quando Hymnus Angelicus cani inci-

*Quo pacto
quoq; animo
S. Missæ sacrifi-
cicio interesse
se nos oporteat.*

*Ad Confessionem
quid
meditandū.*

*Introitus: ac
Kyrie eleison.*

*Gloria in
Excelsis Deo*

pit,

pit, incarnationis præsertim & natiuitatis veri illius Mesiæ Domini nostri Iesu Christi meminerimus: agamusq; gratias Deo, quòd & nos miseros peccatores (quamuis antè à testamentis promissionis extraneos) vniuersalis hominum salutis fecerit participes, nobisq; filium vnigenitum dederit, Agnum Dei peccata nostra tollentem, & impuram nostram natiuitatem conceptionemq; purgantem. Deinceps, quum Sacerdos (versus ad populum) Domini præsentiam annunciat & ad orandum secum astantes hortatur, subeat animos nostros recordatio præsentationis Domini Iesu in templum Hierosolymitanum, & conuentus parentum illius Simeonisq; ac Hannæ orantium collaudantiuq; Dominum in templo: ideoq; & nos ad præcatione flagrantem excitetur, atq; vnà cum Sacerdote pro omnibus totius Christianismi necessitatibus vnanimiter oremus. Post, quando recitatur Epistola, dumq; sequentes item cantiones absoluuntur, præcursor ac prædicationis D. Ioannis Baptistæ reminiscamur, hortantis nimiru ad graduale tractuq; pœnitentiæ, & lætum Halleluia Profamq; appropinquationis regni cœlorum promulgantis: atq; hic nos tum auscultemus diligenter (si quidem licebit) Læctionis Epistolæ verba, tum feriam vitæ pœnitentiæ meditemur, tum ardentibus præcationibus pro gratia Dei initemus. Cæterum ad Euangelij recitationem assurgamus omnes & corpore & mente, meminerimusq; prædicationis Euangelij ab ipso Domino nostro Iesu Christo susceptæ: interim verò gratias gloriamq; (vnà cū Choro) Domino dicamus, quòd per Euangelium Christi sui ad veritatis æternæ agnitionem nos adduxerit: oremusq; pariter, vt donare idem nobis gratiâ agnitæ suæ

Epistola recitatio.

Euangelij recitatio.

suæ voluntatis cum omni obedientia implendæ
 dignetur, quò sic tandè & promissionū ipsius om-
 nium reddamur verè participes. Sub hæc, quò de-
 cantatur Symbolū Apostolicū, reuocemus ad me-
 moriam diuina Domini Iesu miracula, vt per quæ
 fides in ipsum confirmata sit, sed recitemus & ipsi
 interea Symbolum, què admodū illud pueri didi-
 cimus: ac simulatq; incarnationis Dñice articulus
 (nempe, *Qui propter nos homines & propter nostram sa-
 lutem descendit de caelis, Et homo factus est*) auribus no-
 stris insonuerit, procidamus in terram humiliter,
 gratiasq; rursus Christo pro incarnatione sua a-
 gamus, summamq; ipsius humilitatem ac obedien-
 tiam contemplemur, fideiq; & charitatis ab eo pe-
 tamus continuum profectum. Dum verò Offer-
 torium & Orationes secretæ peraguntur, recolamus
 animo, quemadmodum Seruator noster ante pas-
 sionem suam ob Iudæorum furorem aliquandiu
 quasi in occulto ambulauerit, & demùm tamen
 sese vtrò loco ipsi passionis imminentis obtule-
 rit: dum hæc recolimus obiter, & agamus illi pro
 isthac in nostri ad eò gratiam suscepta patiendi
 promptitudine meritas gratias, & parem nobis in
 ipsius vicissim gratiam quiduis faciendi toleran-
 dique propensionem ab eo votis sedulis oremus.
 Porrò autem sub Præfatione ac cantico Sanctus, ve-
 niat nobis in mentem triumphalis ille Christi in-
 gressus in urbem Hierosolymitanam, quomo-
 dò nempe ibi Rex & Filius Davidis sit salutatus,
 cumque canticis & palmis exceptus à populo: ibi
 itaque & nos, gaudentes scilicet de tanto tam-
 que suauis dato nobis rege, ex animo dicamus om-
 nes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth:
 Pleni sunt caeli & terra gloria tua, Hosanna in excelsis.*

*Offertorium
 orationesq;
 secretae.*

*Præfatio ac
 Sanctus.*

Canon
Elevationis.

Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.
 Ut verò mox ad Canonis initium ac Elevationem quoque venit, toti sumus in expensione flagranti Orationis Christi in horto, captionis item, ligationis, adductionis ad Annam, Caiapham Pilatumq; & Herodem, ac quicquid ille apud hos ad Caluarie vsque locum pèpessus est: sed sub Elevatione præsertim corporis & sanguinis eius, pro ni in terram procidantus, gratiarumq; actionem ex intimo cordis affectu offeramus Deo Patri pro mundi ac nostri omnium redemptione per filij sui vnigeniti mortem effecta: quin diligentia etiam summa expendamus ibi, quis quantusq; tam dira sustinuerit, pro quibus sit passus, adeoque & quo fructu sit passus: adhæc verò succurrat quoque, quemadmodum Ecclesia Dominum ac Recõciliatorem suum Iesum Christum (in mortis eius memoriam) Patri cœlesti sistat hic: oremusq; pariter cum ipsa Ecclesia, vt idem Pater noster cœlestis respiciat clementer quicquid filius suus dilectissimus pro genere humano pertulit obiuitq;, ideoq; nobis ac credentibus omnibus salutifera eiusdem merita ad veram remissionem peccatorum & æternam animarum nostrarum salutem prouenire cõcedat. Subinde, cum recitat Sacerdos Precationem Dominicam, eandem & ipsi ex animo simul peroremus: quando item pacem imprecatur ille, nos quoque fide sincera eam exosculemur excipiamusque. Sed cogitemus interim, vnus Iesu Christi merito hoc ipsum deberè nos, quòd Deum liceat nobis cõpellare patrem nostrum, quodq; pace æterna donati simus. Cogitemus etiam, omnes æquè homines (ac credentes præsertim) nostros esse fratres & fofores: ideoq; & omnes diligere, & peccantibus in
 nos

Precationis
Dominicæ
recitatio.
Pax.

nos condonare, & vinculum pacis seruare cum omnibus adoneamur. Postmodò, vbi ad Communionem peruenitur, aut Sacramentaliter (nam id omnibus, qui sese dignè præparauerunt, licitum est) sacram Synaxim vnà cum Sacerdote percipiamus nos, aut spiritualiter certè per firmam traditi pro nobis Christi corporis & effusi sanguinis fidem communicemus. Nam facit fides hæc, vt non minus manducemus bibamusq; Eucharistiam, atque si visibili sumptione vtamur, modò tamen & hanc tempore integro ac lubentes frequentemus: facit item eadem fides, vt fructus totus Dominicæ passionis ac redemptionis perpetuò in nobis maneat, vtq; indies eum magis ac magis efficaciorē sentiamus ad salutem. Postremò verò finita re sacra, suscipiamus benedictionem à Sacerdote, commendemusq; & nos ipsos & totum ad eò Christianismum in protectionem Dei altissimi, ac sic tandem in nomine Domini eamus domum: sperantes, Deum Opt. Max. propter Christum misericordum nostri, ipsiusq; meritorum nos facturum participes, inq; suam protectionem suscepturum.

Hæc iam omnia si diligenter seruemus exerceamusq; sub Missah, nemo (opinor) ea aut abuteatur aut iuste offenderetur. Quare, quod superest, & audita mentori mente reponamus, & tanquam verè Catholica amplectamur, & ipsa etiam re exprimere sedulo conemur.

CONCIO XXIII.

De Sacramento Ordinis, seu Ministerii in Ecclesia.



EA, quæ circa sacrosanctæ Eucharistiæ Mysterium cognitu nobis necessaria sunt, in duabus proximè habitis Concionibus (pro portione gratiæ diuinæ nobis concessæ) ordine explicauimus: quæ quidem, quoniam & prolixiori ambitu continentur, & abundè satis (vt spero) animis vestris inhærent, repetere in præsentiarum omitto.

Quum igitur Ordinis seu Ordinationis Ecclesiasticæ Sacramentum & proximè & appositè sacram Synaxim sequatur, de eo nunc porrò agemus. Vos interim, fratres sororesq; in Christo charissimi, auribus maximè purgatis verba nostra excipite.

*Hæreticorū
audacia.*

Summo quidem studio Ecclesiæ hostes hoc Ordinis Sacramentum tollere semper conati sunt: ex Sacerdotibus nempe facientes Laicos, & Laicis contrà sacerdotialia munera iniungentes, vt cum Tertulliano loquamur, Lib. de Præscriptionibus aduersus Hæreticos, fol. 123. Verùm Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus Ordinem eontinuè inuiolabiliterq; seruauit, hoc est, peculiare semper Sacerdotes ac Ministros habuit, elegit, ordinauit: testibus (præter iam dictum Tertullianum) vetustissimis pientissimisq; Ecclesiæ luminibus, Clemente, Dionysio, Ignatio, Irenæo, alijsq; infinitis. Quòd autem occinunt quidam nobis, omnes Christianos perinde Sacerdotes esse. 1. Pet. 2.

*Ordinis sac
cramentū ab
Apostolis ad
nos proma
nauit.
Tertullian.
Clemens.
Diony. Areo.
Ignatius.
Irenæus.*

Apo.

Apocalyp. .i. id nihil profectò publico Ecclesiæ in-
 nisterio adimit aut incommodat Nam vt duplex
 in Scripturis regnum inuenitur, & externum & in-
 ternum, corporale & spirituale: ita & de duplici Sa-
 cerdotio loquuntur sacræ literæ, externo videli-
 cet & interno, publico ac spirituali. Atqui non om-
 nes Christiani externi sunt reges, etiam in regibus
 spirituales euaserint: nec omnes igitur Sacerdotes
 publici sunt, licet spirituales eos Christus sacer-
 dotes fecerit. Quare nimirum foedè admodum er-
 rant ij, qui externum in Ecclesia esse Sacerdoti-
 um negant, quique omnibus ex æquo (vt hodie
 plerisque in locis fit) citra legitimam uocationem
 & ordinationem faciunt sacerdotalis functionis
 copiam. Sed dixerit quispiam hic: Nondum satis
 assequor adductam illam tuam distinctionem.
 Dic clariùs ergo, quid sentias. Dicam equidem,
 idque & breuiter & luculentè. Sunt quidem (id
 quod ingenuè fateamur) omnes pariter Christia-
 ni, Sacerdotes: uerùm spirituales Sacerdotes sunt,
 ut & Reges item: Sacerdotes nempe eatenus, vt of-
 ferant hostias spirituales Deo uiuenti, laudes in-
 quam, gratiarum actiones, preces seu no-
 minis diuini inuocationem, cor contritum & hu-
 miliatum, mortificationem carnis, sacrificium iu-
 stitiæ ac innocentiæ, &c. Eatenus uerò Reges, vt car-
 nis ac prauarum huius concupiscentiarum domi-
 nentur, easque spiritui subiugent. Atqui quemadmo-
 dum præter spirituales hos Reges, alij adhuc reges
 principesque seu Magistratus in Christianismo exi-
 stunt, qui nimirum externam ciuilemque admini-
 strant rempublicam, quibusque nos (iuxta D. Petri ac
 Pauli præscriptum) honorem, timorem, censum,

*Hereticorū
 error, in Ecc
 lesia exter
 num esse Sa
 cerdotium
 negantium
 Christianū
 omnes quatu
 nus sint Sa
 cerdotes
 Reges.*

*Vti non ad
omnes æquè
spectat civi-
lis admini-
stratio, ita
nec Ecclesia-
stica functio
eiusus com-
petis.*

ac obedientiam debemus: Ita videlicet & præter iuxtaq; Sacerdotes mysticos seu internos, alij adhuc Sacerdotes sunt in Christi Ecclesia, qui peculiariter & sunt & dicuntur Sacerdotes, quosq; sacræ literæ Episcopos vocat, presbyteros ite siue seniores, pastores & doctores, ppositos, ministros Christi, dispensatoresq; mysterioru Dei, &c. Vti iam no ad omnes æquè Christianos spectat, rei publicæ civilis administrare obireq; munia: ita nec omnibus iisdem promiscuè licitum est, publicas Reipublicæ Ecclesiasticæ functiones obire, hoc est, publicè docere, administrare conficereq; Sacramenta, &c. Sed illis duntaxat hæc competunt, qui legitime à legitimis Ecclesiæ proceribus electi & ordinati sunt: ideoq; nemo, citra præcedentem electionem ac ordinationem, honorem eum sumere sibi debet. Hebr. 5. ni exemplo Core, Dathan, Abiron, Oza, & Ozie, communicare infelicitè velit. Num. 16. 2. Reg. 6. 2. Paralip. 26.

*Cõcionis hu-
ius in par-
tes quinq; di-
uiso.*

Quum itaque non obscurè probauerimus hæc tenus, esse externum peculiareq; in Christi Ecclesia Sacerdotium, declarabimus nunc porro. 1. quid Ordo sit. 2. quomodo is verè sit Sacramentum. 3. quot & quibus ille gradibus constet, quæq; sint singulorum officia. 4. quis finis sit institutionis eius. 5. quid ceremoniæ illæ sibi velint, quæ adhibentur sacerdotio initiandis. Oro autem vt omnes vos auditores religiosissimi, attentè maxime sitis: nec eam concipiatis persuasione, quasi argumentum hoc vestra nihil referat, sed solos nostri ordinis homines contingat. Sanctè enim verèque affirmo, interesse vestra quàm plurimum, vt noveritis quid ac quomodo de Sacerdotio Ecclesiastico

ficio orthodoxè vobis sentiendum fit: id quod & hodie non obscurè vos perspecturos speramus.

Est igitur Ordo Sacramentum huiusmodi, per quod ritè electo vocatoq; confertur gratia & potestas ad munus peculiare in Ecclesia publicè gerendum. Definitio hæc satis per se perspicua est, nihilq; obscuri aut ambigui habet: nisi quis fortè edoceri cupiat, æquis pro verè electo vocatoq; sit habendus, cuiusmodi item gratia ritè electo & vocato conferatur. Vt ergo simplicioribus hic satis fiat, vtrunque ostendemus obiter. Est is nimirum verè ritèq; electus ac vocatus, tum quem Deus ipse elegit, tum quem legitimi etiam munium Ecclesiasticorum Collatores, iuxta normam Apostolicam Præsidibus Ecclesiæ offerunt. Dei quidem electio ac vocatio præcedat oportet, quod infelicitèr alioqui & frustrà vocetur quis ab hominibus. Quis verò verè à Deo electus sit, nemo certò nouisse potest, nisi fortè (quod olim non semel contigit) diuina vel oracula vel ostenta electum prodant: interim tamen existunt indicia quædam vnde electio hæc colligi possit, veluti, si sentiat homo totū suum animum propendere ad functiones Ecclesiasticas, si item gratiā potentiāq; non deesse sibi intelligat, si deniq; aliud nihil ea prouincia venetur, atque solam Dei gloriam & populi Domini æternam salutem. Sed quoniam D. Ioannes probandos docet spiritus vtrum ex Deo sint, nec tutum est vnicuique de se ipso testificanti fidem statim indubitatam adhibere: curandum est modis omnibus ijs, ad quos externæ vocationis collationisq; & admissionis ius spectat, vt omnem hic affectum humanum ac priuatū commo-

I.
Ordo quid. -

Verè ritèq; electus ac vocatus quis.

Dei electio ac vocatio vnde colligatur.

Legitimorū collatorum electio qualis esse debeat.

dum ablegent procul, solosq; dignos ac aptos diligant admittantq; , hoc est, pios, sobrios, castos, modestos, mansuetos, didacticos, fidelis sermonis & doctrinæ tenaces, potentes exhortari per sanã doctrinam ac contradicentes convincere. 1. Timot. 3.

Electis vocatisq; conferri gratia singularis.
 Tit. 1. Cæterum huiusmodi electis vocatisq; conferri in Ordinis Sacramento gratiam singularem, abunde satis D. Paulus testatur. Sic nanq; 1. Tim. 4. ad ipsum Timothæum scribit: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri. & 2. Tim. 1. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Ea autem gratia, quæ ordinatis confertur, virtus talis est, per quam rata & efficacia coram Deo sunt, quæcunq; illi iuxta Christi Ecclesiæq; præscriptum administrant: nõ modò, si digni sint, sed &, si sint indigni. Nam etsi requiritur in ipsis, ut digni sint, non tamè ab eorum dignitate ipsa Sacramentorũ vis pendet, sed à solo Christi institutoris verbo.

Sacramentum vis nõ à ministris dignitate, sed à solo Christi verbo pendet.

II.
 Ordo verè sacramentum, & quòmodo. Ordinis verbum.
 Iam quòd Ordo verè Sacramentum sit, non multa probatione eget. Habet enim (ut alia Sacramenta omnia) suum & Elementum & Verbum, & signum externum & internam gratiam. Verbũ quidem illa verborum forma est, qua Episcopus pro diversitate graduum in ordinatione utitur, niturq; mandato ac verbo Christi. Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Ioan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: quorum autem retinueritis, retenta sunt. Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem. Elementum autem seu

Ordinis Elementum.

externum signum, in minoribus quidem gradibus instrumentorum variorum traditio est, in Sacerdotio verò impositio est manuum, quo nimirum symbolo certa sit Ordinati conscientia de dono Dei, ad Ecclesiæ ædificationem sibi per Sacramentum hoc diuinitus collato.

Cæterum quod ad Gradus attinet, qui sub Ordinis Sacramento comprehenduntur, sunt ij numero septem. Primus enim, Ostiariorum est: secundus, Lectorum: tertius, Exorcistarum: quartus, Acoluthorum: quintus, Hypodiaconorum: sextus, Diaconorum: septimus & summus, Sacerdotum. Et hi quidem gradus non heri excogitati sunt, vt sentiunt quidam hodie, sed ab ipsis Apostolorum temporibus fuerunt in Ecclesia, vt partim ex literis Apostolicis, partim etiam ex vetustissimorum sanctissimorumq; Patrū monumentis abundè satis constat. Ostiariorū nempe muneris erat, custodire templi ianuas, indignos ab ingressu arcere, dignosq; & inculpato admittere: Lectorum aut, psallere, ac sacras lectiones publicè in cœtu Ecclesiastico legere: Exorcistarum verò, super Energumenis & Dæmoniis inuocare nomen Domini, adiuratumq; spiritū malum vel eicere vel compefcere saltem: Acoluthorum porrò, præter alia, cereos præfertim (quum Euangelium recitandū esset & Laudis celebraretur sacrificium) presbyteris ac Diaconis in fulgoris Euangelici signum anteferre: Hypodiaconorum verò, tum subseruire Diaconis, tum legere Epistolam: Diaconorum autem, Episcopis Presbyterisq; ministrare in omnibus, pauperum alendorū obire curam, Euangeliū recitare, quin & concionari insuper: Sacerdotum denique,

III.

Ordinis gradus septem.

Ordinis gradus fuerunt in

Ecclesia apostolorū tempo-

poribus.

1. Ostiarii.

2. Lectores.

3. Exorcistæ.

4. Acoluthi.

5. Hypodiaconi seu subdiaconi.

6. Diaconi.

7. Sacerdotes.

docere populum è cathedra Verbum Dei, Sacramenta conficere & dispensare, ac iuge illud Ecclesiæ Sacrificium offerre. Horum autem graduum nunc bona pars (prò dolor) aut interiit omninò, aut infeliciter certè commutata est: nisi quòd Hypodiakonatus, Diaconatus, & Presbyteratus, vtcumque adhuc in vsu sunt. Sed summè profectò in rem esset Ecclesiæ, vt restaurarentur omnes. Ita enim & minus esset Ministris laboris, & longè plus populo esset commodi. Porrò autem Presbyteratus, etsi ordine ipso vnicus seu indiuiduus est, officiorum tamen & dignitatis potestatisq; ratione in aliquot adhuc gradus dispescitur. Sunt nanque alij, Sacerdotes minores, cuiusmodi sunt nostri ordinis presbyteri: sunt vicissim alij, Sacerdotes maiores, veluti Episcopi, Archiepiscopi, Primate, Patriarchæ, & summus Pontifex. Quæ nimirum graduum distinctiones huc potissimùm faciunt, vt ordo & vnitas conseruetur in Ecclesiæ. Nam si omnes æquè per omnia pares essent, tot futuræ essent sententiæ, quot capita. Est verò (vt & hoc addamus obiter) primorum huiusmodi, Sacerdotum munus, præter ea quæ cum Sacerdotibus minoribus communia habent, Chrisma seu vnguentum sacrum conficere, baptizatos confirmare, consecrare basilicas ac altaria, presbyteros & alios Ecclesiæ ministros initiare, dicare Deo virgines, cogere Synodos, visitare diœceses suas, sibi denique & cum sto gregi Dominico summa vigilantia attendere.

Presbyteratus duplex gradus.

Sacerdotes minores & maiores.

Sacerdotum maioris & minoris.

Ordinis Sacramentum cui à Christo suo institutum.

Sed veniamus nunc ad Ordinis causam finalè, hoc est, quur ille institutus à Christo sit, quiduo emolumenti inde ad Ecclesiam redeat. Istuc verò, ne longis verborum ambagibus suspendamus vos,

vos, his verbis D. Paulus disertè iuxtà ac breuiter aperit: Christus (inquiens) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris: veritatem autem facientes in charitatem, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, &c. Ephe. 4. Vide: In hunc finem *Sacramenti ordinis causa finalis.* institutum est Sacramentum hoc Ordinis, vt omnes agnoscant veritatem, conuertantur, inserantur corpori Christi Ecclesiæ, grandescant in fide & charitate, in agnita receptaque veritate obdurent, aduersus errores quoscunque muniantur, æternumque tandem saluentur. Atqui, quando ita res habet, facilimè hinc colligere est, quanti omninò faciendum nobis sit tam salutare mysterium, quamque honorificè nos de Sacerdotibus & Ecclesiæ ministris sentire oporteat. Certè Dominus ipse inquit: Qui vos audit, me audit. Et qui vos spernit, me spernit. Matth. 10. Luc. 10. Et Paulus item: Qui bene præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè, qui laborant in verbo & doctrina. 1. Timot. 5. Quis autem is honos sit ac esse debeat, explicat passim idem Apostolus: nimirum, vt obsequamur illis. Heb. 13. habemus eos in summo pretio per charitatem, paceque erga illos vtamur. 1. Thess. 5. vitæ denique & cor-

poris suppeditemus illis necessaria. 1. Corint. 9. Galatas 6. 1. Tim. 5.

V.

*Ceremonia
Sacramenti
Ordinis.
Tonsura Sa-
cerdotalis.*

His verò expeditis obiter, reliquum est, vt videamus etiam, ecquid tonsura & vnctio Sacerdotalis sibi velit. Rident vtramq; hoc æuo plurimi, sed iniuriã profectò. Nam vtraque & antiqua admodum est & singulare fouet mysterium. Tondentur quidem Ordinandi ob id, primò vt à laicis clerici discernantur: verùm multò magis, vt per eã tonsionem sui admoneantur officij. Admonentur nanque verticis rasura, refecandas sibi esse ab animis omnes superfluas vanasque cogitationes, omnes item carnales ac turpes concupiscentias, omnes deniq; rerum negotiorumque secularium curas, vt solis videlicet diuinis intenti esse & ministerium iniunctum vrgere expeditius queant. Vnguntur verò Sacerdotes, vt admoneantur inter alia, diuina gratia & Spiritus sancti (cuius vnctio ea symbolon est) virtute effici, non Marte proprio, quicquid functionibus suis efficiunt.

*Vnctio Sa-
cerdotalis.*

Hæc in præsentiarum de Ordinis Sacramento adducere operæpretium arbitrati sumus. Vos interea Auditores, quæ audistis alta mente reponite, honorificentiusq; posthac de gradibus Ecclesiasticis sentite.

CONCIO XXV. De Matrimonii Sacramento.

Explicauimus Concione proxima, compendiose quidem, at sic satis euidenter, ea quæ in Sacramenti Ordinis commendationem faciunt.

cere, quæque & sacrarum literarum & catholicorum patrum auctoritate niti existimauimus. Quoniam verò Coniugij Sacramentum non inconcinne illi subiungitur (cùm scilicet, quòd sacerdotalis benedictio in eo requiratur, diuo Euaristo teste: tum, quòd inter vtrunq; similitudo quædam ac cognatio sit) de hoc ipso nunc pro nostra virili agemus. Quò autem isthuc vitæ genus plausibilis hodie est & maiori in pretio habetur, eò & attentius alacriusq; speramus animaduersura vos omnes: vt non opus esse reamur, desudare multum in attentione excitanda.

Vt telam igitur exordiamur, neque latere quenquam vestrum puto, neque prolixa laboriosaque declaratione indiget, quidnam Matrimonium ipsum sit. Nam vel pueris cognitum est, esse illud legitimam vnius viri & vnius fœminæ coniunctionem cohabitationemque. At hoc initio dispiciamus ac consideremus oportet, num Sacramentum etiam re vera sit Matrimonium. Nam de eo potissimum controuertitur hodiè, imò à plerisque negatur profus.

Habet certè Matrimonium & Verbum & Elementum, & signum visibile & inuisibile gratiam. Nemini ergo (pio præsertim) dubium esse potest, quin re vera Sacramentum sit. Ea enim (vt subinde diximus) Sacramenti cuiuslibet propria sunt. Verbum quidem est, quo mutus maris fœminæq; consensus exerte exprimitur, quoq; Sacerdos eos in Dei noie cõiungit: quod nempe Verbũ his Christi verbis nititur. Matt. 19. Qui fecit hominẽ ab initio, masculũ & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrẽ, & adhærebit

*Matrimonium
um quid.*

*Matrimo
verbum*

*Matrimonii
elementum.*

*Gratia qua
Sacramento
Matrimonii
confertur.*

*Matrimonii
significatio.*

*Paulus vocat
Matrimo-
nium sacra-
mentum.*

vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Cæterum Elementum seu visibile signū Matrimonij, exterior ille actus ac gestus est, quo contrahentes (cum coniunctione dextrarum, aut mutua anuli traditione) copulantur. Vt autem luculentius adhuc appareat, Matrimonium verè Sacramentum esse, non ab re fuerit, si & gratiam significationemq; expendamus paucis. Hæc igitur gratia eius est, quæ dignè & in timore Dei suscipientibus confertur, vt vir amore casto vxorem suam diligat exemplo Christi diligentis Ecclesiam, vxor vicissim propter Christum & Ecclesiæ exemplo amet reuereturque virum suum, ideoq; vterq; ab omni immunditia & illicita libidine sese pueros conferuent, adhæc liberos quoque (si ij dentur) summo nisu ad Christianam educent pietatem. Hæc inquam gratia Matrimonij est: sed nunc & significationem eius consideremus porro. Sic nimirum hanc Paulus Ephes. 5. explicat: Nemo (inquiens) vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: Quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: eruntq; duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Vide, hic apertè Apostolus Matrimonium vocat Sacramentum, quo expressissimè scilicet significatur arctissima vnio Christi ac Ecclesiæ, qua vnum cum ipso & in ipso sumus Credentes. Quia igitur tam diuinam omnino consolantissimamq; habet Coniugium signi-

ficationem, vel hoc solo nomine idem pro Sacramento iurè habendum est.

Cæterum dispiciamus iam, ecquomodo Sacramentum huiusmodi suscipi seruariq; à Coniugibus debeat. Dignè profectò, vt Sacramenta omnia, suscipiatur ac traducatur oportet. Consistit itaque digna eius susceptio obieruantiaque in ea potissimum, vt Coniuges ipsi ante omnia reuerentes sint Dei seu pietati studeant, vt casto amore sese prosequantur mutuò, vt solo procreandæ sobolis desiderio conueniant, vt alter alteri fidem connubialem seriò seruet, vt denique alter alteri citra diuortium vllum & cohabitè & adhæreat. Nam sic verè Christi & Ecclesiæ vnionem Matrimonio suo expresserint, & vnum ipsimet etiam cum Christo euadent corpus.

*Matrimonium
quomodo sum
sciendum
seruandūq;.*

Timor quidem seu cultus Dei præ omnibus requiritur, tum quòd ipse Deus institutor vnicus sit Matrimonij, tum quòd in innocentis statu institutum illud sit, tum denique quòd citra Dei timorem nihil rectè vel incipiatur vel geratur. Gene. 2. Prouerb. 1. Eccle. 1.

*Timor seu
cultus Dei in
matrimonio
requiritur.*

Mutuos autem amor requiritur in Coniugibus, quòd hæc prima sit Matrimonij instituti causa, vt sit arctissima humanæ societatis copula, a se se proiecmitiæque omnis conciliatio. Vnde nempe Gene. 2. scriptum extat: Non est bonum, hominem esse solum: faciamus illi adiutorium, simile sui.

*Mutuo amor
in coniuges
a se se proiec
mitiæque
quæritur.*

Quòd verò & solo sobolis desiderio conuenire Coniuges debeant, hæc causa sunt præcipuæ. Prius videlicet, quòd in eum præsertim finem instituta de sobolis de tuerit Deus hoc vitæ genus, vt proles procrearentur, & auferantur.

*Coniuges suo
lo procreandi
de sobolis de
siderio conueniant.*

gesce.

gesceret, & conseruaretur. Gene. 2. deinde autem, & turpis duntaxat libidinis explendæ causa conuenientibus præualeat Sathan, amore verò liberorum magis quàm venere ipsa ducti consequantur Domini benedictionem in filijs. Tob. 6.

In matrimonio fides coniugalis exigitur. Porro fides conjugalis exigitur, quòd non ferat personas plures Matrimonium quàm duas duntaxat, aduerseturq; ei omninò adulterium. Ita enim scriptura habet: Qui fecit ab initio hominem, masculum & sceminam creauit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhaerebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Matt. 19. & Heb. 13. inquit Paulus: Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus.

Mutua cohesio cohabitatioq; coniugum requiritur. Postremò verò & mutua cohesio cohabitatioq; coniugum requiritur, quòd Matrimonium Christianum nullo pacto diuortium seu repudium admittat. Vnde nimirum exertè Dominus Matth. 19. inquit: Quos Deus coniunxit, homo ne separet. & Paulus item 1. Corinth. 7. Præcipio (inquit) non ego, sed Dominus, vxorem manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat. Etsi autem fornicationis aut alterius legitimæ causæ gratia separatio aliquando fiat, neuter tamen (viuente altero) iungi alteri potest. Nam sic Christus rursus ait: Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mochari: & qui dimissam duxerit, adulterium committit. Matth. 5. & Paulus Rom. 7. Quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.

Sed

Sed dubia quædam oboriuntur hic. Primò nan- *Obiectioes ad prædicta.*
 que roget quis, quum Matrimonium procreandæ
 sobolis ergò institutum sit, num citra carnalem
 (vt vocant) copulam viuere permanereque in eo
 Coniuges licitè possint: deinde, num contractum
 inter vetulos Connubium, vbi nulla spes prolis
 est, approbandū licitumq; existat: postremò, quan-
 do solius prolis excitandæ gratia conuenire Con-
 iuges oporteat, quid de illis sit sentiendum, qui
 vltra propaginis voluntatem, libidinis scilicet ex-
 atandæ quàm sobolis fuscitandæ studiosiores,
 commiscentur. Vt igitur ad hæc respondeamus *Responsio.*
 obiter, quod tamen fiet compendiosissimè iuxta
 ac simplicissimè: sentimus de primo primitus, et si
 congressus carnalis contractum inicumque Ma-
 trimonium consummat seu perfectum constitu-
 it, non tolli tamen continentia perpetua ipsam
 Matrimonij sanctitatem, imò conseruari hanc eo
 modo potius. Nam alioqui consecrarium esset,
 non fuisse verum Matrimonium inter Iosephum
 & Matrem virginem contractum, quod tamen ne-
 mo cordatus dixerit vnquam opinor. & frustra di-
 ceret Apostolus: Qui habent vxores, sint tanquam
 non habeant. 1. Corinth. 7. Interim tamen Con-
 iugibus videndum erit, ne alteruter absque libe-
 ro alterius consensu cœlibatum eum in Matrimo-
 nium introducat. Vxor enim (vt idem Apostolus
 adferit) proprii corporis ius non habet, sed mar-
 itus: similiter nec maritus ius habet proprii cor-
 poris, sed vxor. Ideo que subiungit mox ille: Noli-
 te fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu. &c. 1.
 Corinth. 7. Sed & illud videant ijdem Coniuges o-
 portet, ne contra Dei decretum carnali congressu
 absti-

*Continentia
 perpetua nõ
 tollitur ma-
 trimoni san-
 ctitas.*

*Coniugum
 neuter cœli-
 batum intro-
 ducat asque
 alterius con-
 sensu.*

abstineant, sed pium suum votum cognita eius vo-
luntati submittant humiliter, exemplo quorun-
dam: qui tamen si castitati coelibatuique vnicè stu-
derent, iussis tamen diuinis aliud momenti bus re-
uerenter sunt obsequuti. Iam, quod ad eos atinet,
qui quum ambo pro uictioris efforçue ætatis sint
connubij tamen vinculum subeunt: hoc senti-
mus nimirum, etiam si nulla apud eos prolis ex-
uscitatio sperari potest, perinde tamen verum esse
ipsum Matrimonium. Non enim solius progri-
genda sobolis causa institutum Matrimonium
est, sed & (vt supra admonimus) societatis ami-
citiæque conciliandæ gratia. Si ergo illi ob cau-
sam hanc contraxerunt, non admittendum duntaxat,
sed & approbandum est Coniugium ipso-
rum. Nequaquam verò approbandos eos conse-
nimus, qui in senili ætate vel fortius fœdæ ueneris ex-
plendæ, vel diuitiarum congerendarum acquiren-
darum uic gratia Matrimonium ineunt. Postremo
verò, ad libidinis voluptatem, qua quidam feruntur
in Matrimonio, quod spectat: non caret ea
quidem culpa aut vitio, sed uenialis tamen fit ob
Coniugij bonum, modo tamen in effrenem im-
moderatioremque concupiscentiam non excedat. Nam
is adeo uenia non est dignus, ut ex Matrimonio fa-
ciat nefandum adulterium, eiusque sanctitatem
prorsus auferat. Aliud autem sciendum est, quic-
quid in ueneri uita prolis procreandæ uolunta-
tem adscita peccatur, exigenti esse inaputandum,
non debitum reddenti: sed ita, ne reddens eadem
libidine flagret, qua exigens. Alio qui nanque uter-
que culpa pari tenetur. Videat igitur qui exigit de
bitum coniugale, ne præter rationem exigat: vi-
deat

*Connubium
coniugis pro
melioris æta-
tis, ubi nulla
spes prolis.*

*Matrimonium
detestandum
quod.*

*Matrimonium
libidinis concu-
piscendiæ gra-
tia institutum.*























